Digitized by Google

6
38-D
46

6
9 K
29

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

75.2.11

45
E
11

6-38-D-46

Digitized by Google

A
1321

Digitized by Google

A
1501

Digitized by Google

POLYCARPI TENZELI

SELECTA

NVMISMATA AVREA ARGENTEA ET ÆREA MAXIMI MODVLI

ex

Nummophylacio

ILLVSTRISSIMI COMITIS

ANTONI GVNTHERI

S. R. I. QVATVOR-VIRI

COMITIS SCHWARZBVRGI & HOHNSTEINII

DYNASTÆ ARNSTADII, SONDERSHVSÆ, LEVTENBERGÆ, LOHRÆ, ET CLETTENBERGÆ, &c.

Bibliothecæ Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

JENÆ,

SUMPTU JOH. BIELKII, 1693.

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

ILLVSTRISSIMO COMITI
AC DOMINO
DOMINO
ANTHONIO
GVNTHERO
E QVATVOR SACRI ROMANI
IMPERII COMITIBVS
COMITI IN SCHWARTZBVRG
ET HOHNSTEIN
DOMINO ARNSTADIAE, SONDERS-
HVSAE, LEVTENBERGAE, LOH-
RAE ET CLETTEN-
BERGAE

COMITI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME COMES DOMINE CLEMENTISSIME

GAzophylacium TVVM *locupletiſſimum admiratur hodie Orbis eruditus, & ſummis celebrat præconiis. Eò, velut in vaſtum Oceanum, undique confluit immenſa Auri, Argenti, Æris antiqui & novi copia, jucundo ſpectaculo repræſentans, quicquid ab omni propemodum ævo magnum & illuſtre geſtum eſt. Quem*

non

by Google

non alliciant Ægyptiorum, Græcorum aliorumque Regum ac Heroum vetuſtiſſima monumenta ab interitu vindicata? Quis non æſtimet amplam congeriem Numiſmatum, nobilem familiarum Romanarum memoriam propagantium? Quis non ſuſpiciat nitidiſſimos cujuscunque magnitudinis ac metalli Nummos, qui continuatam ſeriem Imperatorum introducunt, totamque Hiſtoriæ Auguſtæ complectuntur Antiquitatem? Taceo Gothicos, Bracteatos, & reliquos medio ævo cuſos, quorum plures habes unus, quam in pluribus Gazophylaciis exſtant; & ad eos progredior, qui ducentis abhinc annis prodierunt, ſive Imperatores, ſive Reges, ſive Electores, ſive Principes, ſive Comites, ſive Reſpublicas auctores agnoſcant. In quibus omnibus congerendis ut maximam curam adhibes, ita cumprimis Comitum numiſmata colligis, ut decus,

quod

quod in imperio poſſides, per omnes Familias diſtinctum habeas.

Hæc præſtantiſſima Cimelia non modo pergis colligere curoſius, ſed collecta peritis oculis examinas, ac ſolertiſſimo mentis acumine pervides, quo ſingula pertineant. Etenim non ſepoſita indefeſſa illa Providentia, qua ſubditorum felicitati conſulis, incomparabilem acquiſiviſti rei nnmmariæ ſcientiam, quam ſapientisſime adhibes, ſive in dijudicandis genuinis & ſinceris, ſive in explodendis fictitiis, & rarioribus dignoſcendis. Quocirca impenſe ſibi gratulantur his ſtudiis addicti de invento tanti faſtigii HEROE, *qui elegantias iſtas ſuo pretio æſtimare, munificentia exornare &* IPSE *illis animum reficere, præclarum, nec in vulgari laude poſitum cenſet.* TE *Vindicem neglectæ aut ignotæ vetuſtatis,* TE *priſcæ* MONETÆ *ad inſtar maximorum quondam Cæ-*

ſa-

ſarum RESTITVTOREM *venerantur noſtræ terræ.*

Sed hoc mihi non ſumo, ut maximam TVARVM *Virtutum gloriam dignis encomiis efferam: nec tanta ingenii ubertas, tanta dicendi aut ſcribendi vis mihi ſuppetit, quæ lautiſſimas* Gazæ TVAE *opes ſatis valeat deprædicare. Loquantur potius* SELECTA *hæc* NVMISMATA, *& quam excellens ſit cæterorum, quibus annumerantur, præſtantia, ſuo exemplo demonſtrent. Horum deſcriptionem, juſſu* TVO *clementiſſimo ſuſceptam & pro tenuitate ingenii mei elaboratam,* TIBI, DOMINE CLEMENTISSIME, *humillima animi demiſſione conſecro & offero.* TIBI *unice multis nominibus ea debetur: nam & ipſa, in quibus verſatur, Numiſmata dominii ratione ad* TE *pertinent, & rariores libros, quibus in ea conficienda uſus ſum, ex inſtructiſſima* TVA *Biblio-*

 the-

Digitized by Google

theca perbenigne conceſſiſti, & neceſſariis ſumtibus ſtudia mea munificentiſſime adjuvas. Itaqve ſpecimen hoc devotiſſimæ ſubjectionis mentisqve gratiſſimæ conſveta TIBI *Clementia excipe, & ab* ILLVSTRISSIMO NOMINE TVO *tenui huic ſcriptioni ſplendoris nonnihil mutuare.*

DEVS TE *ſervet*, PATER PATRIAE EXOPTATISSIME, *ut habeat* ILLVSTRISSIMA DOMVS SCHWARTZBVRGICA *excelſum columen; Reſpublica optimum caput, & firmiſſimum præſidium; Omnis liberalior doctrina perfugium certiſſimum ac decus ſplendidiſſimum! Jenæ, XXIV. Martii, M. DC. XCIII.*

ILLVSTRISSIMAE TVAE CLEMENTIAE

humillimus & ſubjectiſſimus
POLYCARPVS TENTZELIVS.

LECTORI BENEVOLO.

NVMISMATA quæ præſens diſſertatio in conſpectu tuo ponit, SELECTA ſunt (ut ipſum te monet frontiſpicium) EX inſtructiſſimo GAZOPHYLACIO ILLVSTRISSIMI COMITIS AC DOMINI, DOMINI **ANTHONII GVNTHERI,** E IV. S. R. I. COMITIBVS COMITIS IN SCHWARTZBVRG ET HOHNSTEIN, ETC. quod ille COMES AC DOMINVS MEVS CLEMENTISSIMVS ARNSTADIAE, ubi ſedem ſuam collocavit, magnis impenſis & ſingulari cura congeſſit. Raritatem horum nummorum ac præſtantiam intelligent ii, qui ſacris iſtis ſunt initiati. Quidam eorum a nemine unquam ſunt vulgati, ut ex argenteis primus, ex æreis maximi moduli plerique omnes. Reliqui producuntur quidem a ſcriptoribus, ſed non niſi iis, qui ſummorum Principum Cimeliarchia perluſtrarunt,

Digitized by Google

runt, & cum notabili quandoque differentia. In diſpoſitione tum temporum, tum metallorum habui rationem. Nummorum omnium magnitudinem accuratiſſime, quantum fieri potuit, repræſentari curavi. Craſſitiem indicant duæ lineæ transverſæ, quibus antica ſingulorum pars cum poſteriori conjungitur. Pondus etiam in cujusque deſcriptione annotavi. Si quando in delineando & cælando peccatum eſt, condonet quæſo eruditus lector, & cogitet, nummos vetuſtate aut ærugine nonnunquam arroſos detritosque fuiſſe, ut omnia in iis diſtincte cognoſci non potuerint: cætera non tanti ſunt momenti, ac ſtatim a quovis poſſunt animadverti. Cum vero explicandi munus ſuſcipio, non juſtos promitto commentarios, exiguitatis meæ probe conſcius: id tamen ſedulo dedi operam, ne quid præterirem, quod ad neceſſariam horum nummorum intellectum requiritur. Ductu Viri Excellentiſſimi JO. ANDREÆ SCHMIDT, Profeſſoris Publici celeberrimi, in Academia Salana hæc qualiacunque eruditorum examini ſubmiſi, ut non tantum ſcriberentur, ſed etiam defenderentur. Vale.

SE-

SELECTA
NVMISMATA AVREA.

I.

EXhibet hic Nummus utrinque duo capita: Ab una parte *Ptolemæi Philadelphi* & *Arſinoës* uxoris ſimul & ſororis, cum inſcriptione: ΑΔΕΛΦΩΝ, i. e. *Fratris Sororisque:* Ab altera *Ptolemæi Patris* & *Berenices* conjugis, cum elogio: ΘΕΩΝ, *Deorum*. Utriusque Ptolemæi caput diademate eſt decoratum, utriusque uxoris ornatu quodam muliebri.

Similes nummos vulgarunt Illuſtres Viri *Ezech. Spanhemius*, de Præſt. & Uſu Num. Diſſ. V. p. 404. *Pet. Seguinus*, in Select. Num. p. 55. *L. Begerus*, in Theſ. ex Theſauro Palat. ſelecto, p. 144. iisdemque Ægypti Regibus adſcripſerunt; quorum veſtigia premere non dubitavi, vel ſola tantorum virorum auctoritate perſvaſus. Addunt tamen, ſe non temere & inconſultius dictorum Ptolemæorum eorumque conjugum vultus denominare; eosdem enim cum ſuo quemque nomine ſeorſim in aliis nummis & vidiſſe ſe, & partim penes ſe habere, quos plane cum his convenire deprehendant.

Ut autem ad præclarum illud, quod deſcribere aggreſ-

Digitized by Google

A
1501

Digitized by Google

POLYCARPI TENZELI

SELECTA

NVMISMATA AVREA ARGENTEA ET ÆREA MAXIMI MODVLI

ex

Nummophylacio

ILLVSTRISSIMI COMITIS

ANTONI GVNTHERI

S. R. I. QVATVOR-VIRI

COMITIS SCHWARZBVRGI & HOHNSTEINII

DYNASTÆ ARNSTADII, SONDERSHVSÆ, LEVTENBERGÆ, LOHRÆ, ET CLETTENBERGÆ, &c.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

JENÆ,

SUMPTU JOH. BIELKII, 1693.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO COMITI
AC DOMINO
DOMINO
ANTHONIO
GVNTHERO
E QVATVOR SACRI ROMANI
IMPERII COMITIBVS
COMITI IN SCHWARTZBVRG
ET HOHNSTEIN
DOMINO ARNSTADIAE, SONDERS-
HVSAE, LEVTENBERGAE, LOH-
RAE ET CLETTEN-
BERGAE

COMITI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME COMES
DOMINE
CLEMENTISSIME

GAzophylacium TVVM locupletiſſimum admiratur hodie Orbis eruditus, & ſummis celebrat præconiis. Eò, velut in vaſtum Oceanum, undique confluit immenſa Auri, Argenti, Æris antiqui & novi copia, jucundo ſpectaculo repræſentans, quicquid ab omni propemodum ævo magnum & illuſtre geſtum eſt. Quem

non

Digitized by Google

non alliciant Ægyptiorum, Græcorum aliorumque Regum ac Heroum vetuſtiſſima monumenta ab interitu vindicata? Quis non æſtimet amplam congeriem Numiſmatum, nobilem familiarum Romanarum memoriam propagantium? Quis non ſuſpiciat nitidiſſimos cujuscunque magnitudinis ac metalli Nummos, qui continuatam ſeriem Imperatorum introducunt, totamque Hiſtoriæ Auguſtæ complectuntur Antiquitatem? Taceo Gothicos, Bracteatos, & reliquos medio ævo cuſos, quorum plures habes unus, quam in pluribus Gazophylaciis exſtant; & ad eos progredior, qui ducentis abhinc annis prodierunt, ſive Imperatores, ſive Reges, ſive Electores, ſive Principes, ſive Comites, ſive Reſpublicas auctores agnoſcant. In quibus omnibus congerendis ut maximam curam adhibes, ita cumprimis Comitum numiſmata colligis, ut decus,

ILLVSTRISSIME COMES DOMINE CLEMENTISSIME

G*Azophylacium* TVVM *locupletiſſimum admiratur hodie Orbis eruditus, & ſummis celebrat præconiis. Eò, velut in vaſtum Oceanum, undique confluit immenſa Auri, Argenti, Æris antiqui & novi copia, jucundo ſpectaculo repræſentans, quicquid ab omni propemodum ævo magnum & illuſtre geſtum eſt. Quem*

non

non alliciant Ægyptiorum, Græcorum aliorumque Regum ac Heroum vetuſtiſſima monumenta ab interitu vindicata? Quis non æſtimet amplam congeriem Numiſmatum, nobilem familiarum Romanarum memoriam propagantium? Quis non ſuſpiciat nitidiſſimos cujuscunque magnitudinis ac metalli Nummos, qui continuatam ſeriem Imperatorum introducunt, totamque Hiſtoriæ Auguſtæ complectuntur Antiquitatem? Taceo Gothicos, Bracteatos, & reliquos medio ævo cuſos, quorum plures habes unus, quam in pluribus Gazophylaciis exſtant; & ad eos progredior, qui ducentis abhinc annis prodierunt, ſive Imperatores, ſive Reges, ſive Electores, ſive Principes, ſive Comites, ſive Reſpublicas auctores agnoſcant. In quibus omnibus congerendis ut maximam curam adhibes, ita cumprimis Comitum numiſmata colligis, ut decus,

 quod

Digitized by Google

quod in imperio poſſides, per omnes Familias diſtinctum habeas.

Hæc præſtantiſſima Cimelia non modo pergis colligere curoſius, ſed collecta peritis oculis examinas, ac ſolertiſſimo mentis acumine pervides, quo ſingula pertineant. Etenim non ſepoſita indefeſſa illa Providentia, qua ſubditorum felicitati conſulis, incomparabilem acquiſiviſti rei nnmmariæ ſcientiam, quam ſapientisſime adhibes, ſive in dijudicandis genuinis & ſinceris, ſive in explodendis fictitiis, & rarioribus dignoſcendis. Quocirca impenſe ſibi gratulantur his ſtudiis addicti de invento tanti faſtigii HEROE, *qui elegantias iſtas ſuo pretio æſtimare, munificentia exornare &* IPSE *illis animum reficere, præclarum, nec in vulgari laude poſitum cenſet.* TE *Vindicem neglectæ aut ignotæ vetuſtatis,* TE *priſcæ* MONETÆ *ad inſtar maximorum quondam Cæ-*

ſa-

ſarum RESTITVTOREM *venerantur noſtræ terræ.*

Sed hoc mihi non ſumo, ut maximam TVARVM *Virtutum gloriam dignis encomiis efferam: nec tanta ingenii ubertas, tanta dicendi aut ſcribendi vis mihi ſuppetit, quæ lautiſſimas Gazæ* TVAE *opes ſatis valeat deprædicare. Loquantur potius* SELECTA *hæc* NVMISMATA, *& quam excellens ſit cæterorum, quibus annumerantur, præſtantia, ſuo exemplo demonſtrent. Horum deſcriptionem, juſſu* TVO *clementiſſimo ſuſceptam & pro tenuitate ingenii mei elaboratam,* TIBI, DOMINE CLEMENTISSIME, *humillima animi demiſſione conſecro & offero.* TIBI *unice multis nominibus ea debetur: nam & ipſa, in quibus verſatur, Numiſmata dominii ratione ad* TE *pertinent, & rariores libros, quibus in ea conficienda uſus ſum, ex inſtructiſſima* TVA *Biblio-*

theca perbenigne conceſſiſti, & neceſſariis ſumtibus ſtudia mea munificentiſſime adjuvas. Itaqve ſpecimen hoc devotiſſimæ ſubjectionis mentisqve gratiſſimæ conſveta TIBI *Clementia excipe, & ab* ILLVSTRISSIMO NOMINE TVO *tenui huic ſcriptioni ſplendoris nonnihil mutuare.*

DEVS TE *ſervet*, PATER PATRIAE EXOPTATISSIME, *ut habeat* ILLVSTRISSIMA DOMVS SCHWARTZBVRGICA *excelſum columen; Reſpublica optimum caput, & firmiſſimum præſidium; Omnis liberalior doctrina perfugium certiſſimum ac decus ſplendidiſſimum! Jenæ, XXIV. Martii, M. DC. XCIII.*

ILLVSTRISSIMAE TVAE CLEMENTIAE.

humillimus & ſubjectiſſimus

POLYCARPVS TENTZELIVS.

LECTORI BENEVOLO.

NVMISMATA quæ præſens diſſertatio in conſpectu tuo ponit, SELECTA ſunt (ut ipſum te monet frontiſpicium) EX inſtructiſſimo GAZOPHYLACIO ILLVSTRISSIMI COMITIS AC DOMINI, DOMINI ANTHONII GVNTHERI, E IV. S. R. I. COMITIBVS COMITIS IN SCHWARTZBVRG ET HOHNSTEIN, ETC. quod ille COMES AC DOMINVS MEVS CLEMENTISSIMVS ARNSTADIAE, ubi ſedem ſuam collocavit, magnis impenſis & ſingulari cura congeſſit. Raritatem horum nummorum ac præſtantiam intelligent ii, qui ſacris iſtis ſunt initiati. Quidam eorum a nemine unquam ſunt vulgati, ut ex argenteis primus, ex æreis maximi moduli plerique omnes. Reliqui producuntur quidem a ſcriptoribus, ſed non niſi iis, qui ſummorum Principum Cimeliarchia perluſtrarunt,

Digitized by Google

SELECTA
NVMISMATA AUREA.

I.

EXhibet hic Nummus utrinque duo capita: Ab una parte *Ptolemæi Philadelphi* & *Arſinoës* uxoris ſimul & ſororis, cum inſcriptione: ΑΔΕΛΦΩΝ, i. e. *Fratris Sororisque:* Ab altera *Ptolemæi Patris* & *Berenices* conjugis, cum elogio: ΘΕΩΝ, *Deorum*. Utriusque Ptolemæi caput diademate eſt decoratum, utriusque uxoris ornatu quodam muliebri.

Similes nummos vulgarunt Illuſtres Viri *Ezech. Spanhemius*, de Præſt. & Uſu Num. Diſſ. V. p. 404. *Pet. Seguinus*, in Select. Num. p. 55. *L. Begerus*, in Theſ. ex Theſauro Palat. ſelecto, p. 144. iisdemque Ægypti Regibus adſcripſerunt; quorum veſtigia premere non dubitavi, vel ſola tantorum virorum auctoritate perſvaſus. Addunt tamen, ſe non temere & inconſultius dictorum Ptolemæorum eorumque conjugum vultus denominare; eosdem enim cum ſuo quemque nomine ſeorſim in aliis nummis & vidiſſe ſe, & partim penes ſe habere, quos plane cum his convenire deprehendant.

Ut autem ad præclarum illud, quod deſcribere aggreſ-

ſus ſum, Numiſma revertar, in eo, ut cætera majoris æſtimentur, inprimis efficiunt effulgentia undiquaque genuinæ antiquitatis indicia. Auri, ex quo conſtat, exquiſita utique eſt puritas: mira cernitur imaginum exſtantia, ut majorem nummi magnitudo perferre vix potuerit; unde & in tantum excrevit ejus craſſities, ut quatuor Ducatos, quos vocant, pendeat, licet circumferentia vix unum exæquet: Denique ipſa ſcalpturæ præſtantia Romanis nummis palmam fere reddit dubiam; atque adeo omnibus iis gau-
Intr. ad Hiſt. det requiſitis, quæ a *Patino* in talibus remotiſſimæ vetu-
Num. Cap. ſtatis monumentis requiruntur. Digniſſimum itaque
VII. & X. viſum, quod inter Selecta hæc Numiſmata primum occupet locum, dum quatuor memorata capita repræſentat, quæ illud non minus rarum reddunt, quam pretioſiſſimum.

Ptolemæus pater, *Soter* item *Lagides* dictus, unus erat ex amicis & ſucceſſoribus Alexandri Magni, de cu-
p. m. 10. jus genitore *Pauſanias* in Atticis: Πτολεμαῖον Μακεδόνες Φιλίππου παῖδα εἶναι τοῦ Ἀμύντου, λόγῳ δὲ Λάγου νομίζουσι· τὴν γὰρ οἱ μητέρα ἔχουσαν ἐν γαστρὶ δοθῆναι γυναῖκα ὑπὸ Φιλίππου Λάγῳ. *Ptolemæum quidem Macedones re Philippi Amyntæ filii, verbo Lagi filium fuiſſe exiſtimant: ejus enim matrem uterum ferentem a Philippo, Lago uxorem datam ferunt.* Conſentit *Curtius* L. IX. c. 8. ſed *Juſti-*
L. XIII. c. 4. *nus* Ptolemæum e gregario milite ab Alexandro virtutis cauſſa provectum refert. Hic cum in diviſione imperii
Pauſanias, ab Alexando M. occupati Ægyptum & Africæ Arabiæ-
L. I p. 10. 11. que partem accepiſſet, ſortem ſuam contra æmulos
Juſtinus, L. ſtrenue defendit, & ne minoris apud ſuos auctoritatis
XIII. c. 4 & (quam Antigonus cum Demetrio filio) haberetur, rex
L. XV. c. 2. ab exercitu cognominatus eſt. Ob res poſthæc feliciſ-

ſime

ſime geſtas magnam apud Hiſtoricos laudem conſecutus eſt.

Duas eum duxiſſe uxores idem *Pauſanias* auctor *L. 1. p. 12.* eſt: Εἰ δὲ ὁ Πτολεμαῖος οὗτος ἀληθεῖ λόγῳ Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου παῖς ἦν, ἴςω τὸ ἀπιμανὲς ἐς τὰς γυναῖκας κατὰ τὸν πατέρα κεκλημένος· ὃς Εὐρυδίκῃ τῇ Ἀντιπάτρου συνοικῶν, ὄντων οἱ παίδων, Βερενίκης ἐς ἔρωτα ἦλθεν, ἣν Ἀντίπατρος Εὐρυδίκῃ συνέπεμψεν ἐς Αἴγυπτον· ταύτης τῆς γυναικὸς ἐρασθεὶς, παῖδας ἐξ αὐτῆς ἐποιήσατο. *Quod ſi Ptolemeus revera Philippo Amyntæ filio genitus eſt, intemperantem usque ad inſaniam in mulieres amorem, a patre nimirum ei quaſi hereditarium fuiſſe facile credi poteſt. Cum enim Eurydicen Antipatri filiam uxorem duxiſſet, ex eaque liberos etiam ſuſcepiſſet, Berenices nihilominus (quam Eurydicæ comitem in Ægyptum Antipater miſerat) amore captus, filios ex ea quoque genuit.* Hanc *Berenicem* Ptolemæo patri in Nummo junctam eſſe exinde manifeſtum exiſtimo, quod *Pauſanias* l. c. teſtatur, Ptolemæum Philadelphum, cujus caput in altera parte cernitur, ex ea na- *Ad Idyll.* tum fuiſſe. Lagi filiam vocat *Græcus Theocriti Interpres.* *XVII.* Βερενίκην, λέγει τὴν Λάγου μὲν θυγατέρα, γυναῖκα δὲ Πτολεμαίου *Theocr.* τοῦ Σωτῆρος. Unde *Spanhemius* putat colligi poſſe, eam *p.m. 371.* conjugis fuiſſe ſororem, Lagi itidem, ut paulo ante di *Diſſ. V.* ctum, filii: Sed an diverſi fuerint hi Lagi parentes, & *p. 406.* an in aliorum de his Berenices natalibus ſilentio, continuo fides huic Græculo ſit habenda, lectoris judicio committit.

Idem Ptolemæus primus, de quo hactenus ſermo *Juſtinus,* fuit, contra jus gentium minimo natu ex filiis (Pauſa- *L. XVI. c. 2.* nia teſte ex Berenice genito,) ante infirmitatem regnum tradidit, ab eoque tempore reges Ægypti eodem uſi ſunt Ptolemæi nomine, (διὰ τὴν τοῦ πρώτου δόξαν, *ob*

Geogr. L. XII. p. 388. *gloriam primi*, ut ait, *Strabo*,) inter eos diſcrimen faciente cognomine. Καὶ γὰρ Φιλομήτορα καλοῦσι, καὶ Φιλάδελφον ἕτερον, τὸν δὲ τοῦ Λάγου, σωτῆρα, παραδόντων Ῥοδίων τὸ ὄνομα; *namque alium Philometora, Philadelphum alium appellarunt: at Lagi filio, Soteris cognomentum Rhodii dedere*, inquit, *Pauſanias*. L. I. p. 14. In nummo autem noſtro Ptolemæus Soter & Berenice ſuperbo ΘΕΩΝ titulo inſigniuntur, more in Oriente tum temporis recepto. Equidem hic Ptolemæus a Rhodiis, cum eos ab obſidione Demetrii liberaſſet, tanquam Deus cultus eſt, teſte *Diodoro Siculo*: Biblioth. Hiſt. L. XX. p. m. 825. Τὸν δὲ Πτολεμαῖον ἐν μείζονι ὑπερβάλλεσθαι βουλόμενοι, θεωροὺς ἀπέστειλαν εἰς Λιβύην τοὺς ἐπερωτήσοντας τὸ παρ' Ἄμμωνι μαντεῖον εἰ συμβουλεύει Ῥοδίους Πτολεμαῖον ὡς ΘΕΟΝ τιμῆσαι. συγκατατιθεμένου δὲ τοῦ χρηστηρίου, τέμενος ἀνῆκαν ἐν τῇ πόλει τετράγωνον οἰκοδομήσαντες παρ' ἑκάστην στοὰν σταδιαίαν, ὃ προσηγόρευσαν Πτολεμαῖον. *Ptolemaum vero ut gratia referenda, quod percupiebant, ſuperarent (Rhodii), miſſis in Lybiam Theoris, ex Ammonis oraculo ſciſcitantur, an Ptolemaum uti* D E V M *venerandum cenſeat. Quo annuente, lucum in urbe illi conſecrant quadratum, exſtructa ad unum quodque latus porticu, ad ſtadii longitudinem, quam Ptolemaum indigitarunt.* Sed in Nummo hanc appellationem cum Berenice uxore communem habet, unde Ptolemæus Philadelphus pietatem ſuam erga Parentes demortuos hoc monumento teſtari voluiſſe videtur. Neque alias inſolens in Ægypto, ut Reginæ tanquam conſortes ſupremi faſtigii, in publicis ſolennibus ac monumentis una cum maritis compellarentur exprimerenturve, quod pluribus deducit *Spanhemius* l. c.

Ptolemaus Philadelphus ob rerum geſtarum magnitudi-

Digitized by Google

tudinem, ob Bibliothecam, quam congeſſit, inſtructiſſimam, ob verſionem Bibliorum a LXX. interpretibus ſua auctoritate inſtitutam, nulla non laude celebratur apud veteres. Eo tamen turpitudinis prolapſus eſt, ut ſororiis amoribus implicaretur, quo de conjugio *Pauſanias* in Att. *p. 12.* Οὗτος ὁ Πτολεμαῖος Ἀρσινόης ἀδελφῆς ἀμφοτέρωθεν, ἐρασθεὶς, ἔγημεν αὐτήν, Μακεδόσιν οὐδαμῶς ποιῶν νομιζόμενα, Αἰγυπτίοις μέντοι, ὧν ἦρχε. *At hic etiam Ptolemaeus Arſinoës germanæ ſororis amore victus, eam ſibi matrimonio adjunxit: atque id non ſane ex Macedonum, ſed Ægyptiorum, quibus imperabat, lege fecit.* Legem iſtam ejusque rationem affert *Diodorus Siculus:* Νομοθετῆσαι δέ φασι τοὺς αἰγυπτίους *L. 2. p. m. 23.* παρὰ τὸ κοινὸν ἔθος τῶν ἄλλων ἀνθρώπων γαμεῖν ἀδελφὰς, διὰ τὸ γεγονὸς ἐν τούτοις τῆς Ἴσιδος ἐπίτευγμα. ταύτην γὰρ συνοικήσασαν Ὀσίριδι τῷ ἀδελφῷ, καὶ ἀποθανόντος, ὀμόσασαν οὐδενὸς ἔτι συνουσίαν ἀνδρὸς προσδέξασθαι, μετελθεῖν τόν τε φόνον τ' ἀνδρὸς, καὶ διατελέσαι βασιλεύουσαν νομιμώτατα. *Lege etiam Ægyptiis ſtatutum eſt, ut præter communem aliorum hominum morem, cum ſororibus matrimonium ineatur; quod Iſidi apud ipſos feliciter hoc ſucceſſiſſet. Hæc enim Oſiridi germano nupſit, & præſtito a morte ejus juramento nemini poſthac in complexum ſe venturam, de cædis auctoribus pœnas exegit, & regno ad finem ſanctiſſime præfuit.* Itaque Arſinoën ſororem uti matrimonio, ita etiam in nummo ſibi junxit Philadelphus, quo tendit vox ΑΔΕΛΦΩΝ, fratrem ſororemque hic ſpectari innuens. Appellatio enim Græca ἀδελφῶν communis utrique ſexui, de Philadelpho & Arſinoë Latine non poteſt dici *fratrum*, obſervante *Spanhemio*. Præterea in hac voce notamus literam Φ crucis formam habere, qualem etiam obſervavit non ita pridem Vir Cl. Jo. Andr.

Schmidt PP. in nummo Philippi, ceu videre eſt in epiſtola ſingulari de hoc nummo.

Diadema, quo utriusque Ptolemæi caput cingitur, regium eſt inſigne. Hoc capitis ornamentum a Perſis mutuatus eſt Alexander teſte *Q. Curtio* L. VI. c. 6. quod
p. 789. etiam retinuerunt ejusdem ſucceſſores, ut refert *Diod. Siculus* L. XX. ubi de *Ptolemæo* patre: ὁ δὲ Πτολεμαῖος καὶ αὐτὸς ὁμοίως ἀνέλαβε τὸ διάδημα, καὶ πρὸς ἅπαντας ἀνέγραφεν ἑαυτὸν βασιλέα. *Quin & Ptolemæus diademate etiam ipſe caput evinxit, & in omnibus exinde litteris regem ſeſe appellavit.* Fuit autem Diadema faſcia candida & tenuis, qua regum frontes cingebantur, eo, quo in nummo noſtro viſitur, modo. Vid. *Joh. Braunius*, de Veſtitu Sacerd. Hebræorum L. 2. c. 4. p. 509. qui Regum diademata alba fuiſſe ex Svetonio, Cicerone, Val. Maximo, Luciano, aliisque probat. Add. *Spanhemius* Diſſ. V. p. 458. & ſeqq. *Freinsbemius*, Comment. in Curt. III. 3. 19.

II.

DRVSVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. PONT. TR. POT. II. in medio Nummo S. C. *Druſus Cæſar, Tiberii Auguſti Filius, Divi Auguſti Nepos, Pontifex, Tribunitia poteſtate ſecundùm. Senatus-Conſulto.* In averſa parte cernuntur duo cornua copiæ decuſſatim ſe invicem tangentia, quibus gemellorum filiorum Druſi capita impoſita, in medio ſtat caduceus. PONDVS eſt octo Coronatorum.

Parentem & avum DRVSI ipſe Nummus indicat, illum TIBERII AVGVSTI, hunc DIVI AVGVSTI nomine. DIVVS appellatur *Auguſtus*, quoniam poſt mortem in Deorum numerum relatus eſt. Etenim, *Hero-*

Herodiano teſte, mos erat Romanis conſecrare Impera- *L.IV.c.2.*
tores, qui ſuperſtitibus filiis vel ſucceſſoribus morieban-
tur; quique eo honore affecti erant, relati dicebantur
inter DIVOS. Primus Imperatorum C. Julius Cæſar ab
Auguſto conſecratus, & ob res geſtas DIVVS appellatus
eſt, referentibus *Svetonio* ac *Diodoro Siculo.* De ipſius *in Julio, c.88.*
Auguſti Apotheoſi *Dio Caſſius:* Τότε δὲ ἀθανατίζοντες αὐτὸν *L.I:p.m.5.*
καὶ θιασώτας οἱ καὶ ἱερὰ, ἱέρειάν τε τὴν Λιουΐαν, Ἰουλίαν τε τὴν *L. LVI. p.*
καὶ Αὐγοῦσταν ἤδη καλουμένην, ἀπέδειξαν. καὶ οἱ μὲν καὶ ῥαβδού- *600.*
χῳ χρῆσθαι ἐν ταῖς ἱερουργίαις αὐτῇ ἐπέτρεψαν. *Tum vero
immortalitatem ei tribuerunt, & ſacerdotem Liviam
(quæ tunc Juliæ etiam Auguſtæque cognomenta acceperat)
conſtituerunt, lictoreque uti eam in ſacrificiis permiſe-
runt.* Ibidem de templo aliisque honoribus Auguſto
decretis plura affert, quæ confirmant *Svetonius* in vita
Auguſti, c. 100. & *Tacitus*, Annal. 1. c. 11. *Svetonius in*

TIBERIVS ex familia patritia Claudia, filius colle- *Tib. c.1. &*
gaque imperii ab *Auguſto* aſſumptus, & poſt ejus exceſ- *24. Tacitus,*
ſum rerum potitus eſt. *Annal.1.*

AVGVSTVS nominatur in nummo, licet *Svetonius* *c.3 & 4.*
de eo ſcribat: *Ac ne AVGVSTI quidem nomen, quam-* *c. 26.*
*quam hæreditarium, ullis niſi ad Reges ac Dynaſtas epiſto-
lis addidit.* Sed & *Dio* teſtatur, Tiberium *Auguſti* nomen *L. LVII.*
non quidem uſurpaſſe, audientem tamen, aut ſcriptum *p. 607.*
legentem tuliſſe. In nummis certe apud *Mediobarbum*
aliosque & AVGVSTI FILIVS & AVGVSTVS ſæpiſſi-
me appellatur.

DRVSVS Tiberio ex Agrippina priore uxore na-
tus eſt, quod diſertis verbis narrat *Svetonius* in vita Tibe- *c.7.*
rii: *Agrippinam M. Agrippâ genitam, neptem Cæcilii At-
tici equitis Romani, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolæ, du-*

xit

xit uxorem: ſublatoque ex ea filio DRVSO, quamquam bene convenientem, rurſumque gravidam, dimittere, ac Juliam, Auguſti filiam confeſtim coactus eſt ducere.

Dio L. XLV. p. 269. 271. & L. LVII. p. 607. CAESAR Juliorum cognomen fuit, cujus hæredem C. Julius Cæſar Auguſtum conſtituerat, hicque audita Cæſaris morte ſtatim aſſumpſit. Tiberius id ſibi ipſe tribuebat, quippe ab Auguſto in Cæſarum familiam adoptatus. Pari jure *Druſus*, Tiberii filius in nummo CAESAR appellatur, quem *Tacitus* quoque I. Annal. c. 25. *Cæſarem* vocat. Poſterioribus temporibus, translato Imperio a Cæſarum familia ad alios, hoc nomen non amplius generis ſucceſſionem, ſed dignitatem indicabat: neque primi tantum faſtigii titulus manſit, ſed eo etiam ornabantur *deſignati auguſtæ majeſtatis hæredes*, ut loquitur *Spartianus* in Ælio Vero c. I. Plura vide apud Spanhemium Diſſ. VIII. p. 660. ſeqq. item p. 676. ſeqq.

Porro PONTIFICIS titulus Druſo adſcribitur, quo à Patre Tiberio Pontificatu ornatus indicatur, in ſpem futuræ ſucceſſionis. Pontifices Numa Pompilius ſecundus Romanorum Rex inſtituit, eorumque ſcitis omnia publica privataque ſacra ſubjecit, quod diſertiſſime deſcribit *Dionyſius Halicarn.* Antiq. Rom. L. II. p. m. 132. 133. Horum præcipuus *Pontifex Maximus* dicebatur, quem judicem atque arbitrum rerum divinarum atque humanarum *Feſtus* vocat. *L. XXXVII. c. 46.* Hinc Julius Cæſar apud *Dionem* Ἀρχιερεὺς τῶν Ποντιφίκων renunciatur: quæ dignitas ab Au- *Spanhemius Diſſ. 8. p. 699.* guſto tanquam hæreditaria tranſiit in imperii ſucceſſores, & ubi plures ſimul regnabant, aut hæredes imperii deſignati erant, penes unum & ſeniorem quidem Pontificatus Maximi appellatio reſedit, reliqui vero Pontificis titulo tanquam initio quodam aut tyrocinio illius faſti-

Digitized by Google

faſtigii utebantur, quod teſtatur cauſſamque addit *Dio* L. LIII. p. 508. Ἔκ τε τοῦ ἐν πάσαις ταῖς ἱερωσύναις ἱερῶσθαι, καὶ προσέτι καὶ τοῖς ἄλλοις τὰς πλείους σφῶν διδόναι, ἀρχιερέων τέ τινα αὐτῶν, κἂν δύο, κἂν τρεῖς ἅμα ἄρχωσιν, εἶναι, πάντων αὐτοὶ καὶ τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν κυριεύουσιν. *Quod autem omnibus ſacerdotiis inaugurati ſunt (Imperatores), ac pleroſque in ea collegia adſciſcunt, ſemperque unus eorum (ſiquidem duo vel tres ſimul imperatores ſunt) ſummum Pontificatum gerit; eo fit, ut omnes religiones & ſacrificia in ſua habeant manu.*

TRIBVNITIA denique POTESTAS titulis Druſi ultimum quaſi addit complementum. Hâc enim ſibi a Patre communicata conſors Imperii factus eſt, quod accidiſſe *Olymp. 200. anno 2. U. C. 774. Chriſti Domini 23. Onuphrius Panvinius* Faſtorum L. II. ex *Taciti* Annal. L. III. c. 56. colligit. Taciti locum, quia magnam Nummo noſtro lucem affert, integrum adſcribemus: *Tiberius fama moderationis parta quod ingruentis accuſatores repreſſerat, mittit litteras ad Senatum, quis POTESTATEM TRIBVNITIAM DRVSO petebat. Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus repperit, ne Regis aut Dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret. M. deinde Agrippam ſocium ejus poteſtatis, quo defuncto, Tiberium Neronem delegit, ne ſucceſſor in incerto foret. Sic cobiberi pravas aliorum ſpes rebatur: ſimul modeſtia Neronis, & ſua magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo, Tiberius Druſum ſumma rei admovet: cum incolumi Germanico integrum inter duos judicium tenuiſſet. Sed principio litterarum veneratus Deos, ut conſilia ſua Reipublicæ proſperarent, modica de moribus adoleſcentis, neque in falſum aucta rettulit: eſſe illi conjugem*

& tres liberos, eamque ætatem qua ipſe quondam a divo Auguſto ad capeſſendum hoc munus vocatus ſit. Neque nunc propere, ſed per octo annos capto experimento, compreſſis ſeditionibus, compoſitis bellis, triumphalem & bis Conſulem, noti laboris participem ſumi. Quam vere quo-
L. LIII. que a *Dione* ſit enunciatum, annos Imperii ex tribunitia
p. 508. poteſtate numeratos fuiſſe, hic ipſe Nummus docet, in quo per notas TR. P. II. indicatur, cum anno ſecundo Tribunitiæ Poteſtatis Druſo a Tiberio collatæ, percuſſum eſſe, quo anno Druſus etiam Sejani artibus veneno ſublatus eſt, ut ex *Tacito* Annal. IV. c. 8. eruitur. Hinc
p. m. 157. *Euſebius* in Chronicis ait: *Tiberius nono anno imperii ſui Druſum filium conſortem regni fecit, & is ſequenti anno veneno periit.*

Nota S. C. quæ mediam aream occupat, ſolenne eſt indicium, præſens Numiſma ex decreto Senatus Romani in honorem Druſi cuſum formatumque fuiſſe. Non neſcio equidem, *Marquardum Freberum* de re Monetaria Vet. Rom. L. I. c. I. p. 5. *Wagenſeilium*, Diſſ. de re Mon. Vet. Rom. cap. XIV. p. 65. in ea eſſe ſententia: Poſt Auguſtum Cæſares ſibi ſolis jus auri, argentique ſignandi vindicaſſe, Senatui æris tantum procudendi poteſtate relicta. Hinc pleriſque æreis nummis notam S. C. impreſſam cerni, quæ litteræ *in aureis argenteisque neutiquam* appareant. Hoc manifeſtum indicium eſſe, *nullos tales Senatus auctoritate poſt Cæſarem fuiſſe cuſos.* Unde, cum Nummus noſter aureus ſit primæ magnitudinis, & tamen appoſitam habeat S. C. notam, non immerito de eo dubitare quis poſſet, an ſit genuinus? Præſertim quod *Octavius de Strada* in Vitis Impp. Rom. p. 26. *Patinus* in Svetonio, p. 208. *Mediobarbus* p. 72. aliique Nummographi

phi vulgarunt Numiſmata eandem inſcriptionem easdemque figuras exhibentia, ſed ærea. Imo *Patinus*, l. c. p. 182. & *Jo. Vaillant*, Tom. 2. Num. Impp. Rom. p. 26. ſe Druſi hujus nummos ex auro non obſervaſſe affirmant: & *Ludovicus Savot*, Diſcours ſur les Medailles antiques p. 376. illos inter rariſſimos numerat. Verum ex his raritas potius eximia nummi hujus aurei apparet, cujus figuras tantum in ære viderunt peritiſſimi illi Antiquarii. Videtur enim in more poſitum fuiſſe Romanis, eadem ſæpe diverſis metallis imprimere; quemadmodum hodie ducati & groſſi ex una eademque matrice haud infrequenter formantur. Ipſe *Patinus* in Introd. c. 15. ſcribit: *Auſim aſſeverare, quidquid eſt cunctis Numiſmatis aureis & argenteis expreſſum, id omne in areis ſignatum reperiri.* Quid ergo mirum, ſi nummus ex ære cuſus, auro etiam expreſſus reperitur? Hic utique ob metalli dignitatem in majori habendus pretio, quod figurarum & characterum nitor atque elegantia inſigniter augent. Nec ob notam S. C. novitatis damnari poteſt. Primis quippe Romani Imperii ſæculis Imperatores frequenter imaginem antiquitatis Senatui præbebant, & licet plurima arbitrio Principis, quædam tamen a Senatu conſtituebantur. Conceſſo igitur, nummos æreos decreto Senatus cuſos fuiſſe, nullam video urgentem rationem, quare negetur, eidem licuiſſe permiſſione vel indultu ſpeciali aureos quoque nota S. C. ſignare. Sane *Mediobarbus* paſſim adducit nummos aureos hac nota inſignitos: Et *Spanhemius* Diſſ. IX. exhibet aureum Diocletiani Imperatoris, in quo S. C. legitur. Scribitur interdum EX S. C. idque in aureis Neronis apud *Patinum*, Theſ. Num. p. 7. *Hemelarius*, qui Ducis Arſchotani numiſmata aurea in publi-

Tacitus Annal. I. c. 15. III. c. 60. XIII. c. 4. & 5.

p. 76. 88. &c.

p. 838.

blicum emiſit, multa habet, in quibus Ex S. C. reperitur. Et quid tandem dicendum de illis nummis aureis, quos S. P. Q. R. i. e. *Senatus Populusque Romanus* Auguſto, Trajano, & Fauſtinæ cudi curavit? apud eundem *Hemelarium* Tab. 3. 15. & 26. Et tandem ponamus, Senatui Romano ſolam æris percudendi poteſtatem relictam fuiſſe, an non hæc Imperatorum voluntate reſtringi potuiſſet ad eos nummos, qui in vulgus emittebantur; ita tamen, ut illi, qui vel Auguſtis a Senatu fuerunt oblati, vel ab ipſis Senatoribus, ſi aurum dederint more apud nos quoque ſolito, in rerum geſtarum memoriam aſſervandi, aurei eſſe potuerint. Hos autem, cum probabile ſit, paucos ab initio fuiſſe, hodie admodum raros eſſe, mirum non eſt, judicante antea laudato Prof. Schmidt.

Ad averſam hujus nummi noſtri partem quod attinet, ea quidem caret titulo, unanimi tamen antiquariorum conſenſu, gemellorum Druſo ex Livia natorum capita, cornubus copiæ impoſita exhibet, intermedio caduceo. Egregie hanc explicationem confirmant, quæ refert *Tacitus* Annal. II. c. 84. *Cæterum recenti adhuc mœſtitia, ſoror Germanici Livia nupta Druſo* duos virilis ſexus ſimul *enixa eſt. Quod mirum lætumque etiam modicis penatibus, tanto gaudio Principem affecit, ut non temperaverit, quin jactaret apud Patres, nulli ante Romanorum ejusdem faſtigii viro geminam ſtirpem editam. Nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat.* Roma videlicet adhuc lugebat mortem Germanici, a Tiberio adoptati, cum Livia gemellos pareret. Proinde Tiberius lætitia efferebatur ſingulari, putabatque, domum ſuam his recens natis principibus, tanquam firmiſſimis fundamentis inſiſtere. Ejusmodi igitur ſymbolis ſenatus

juſſu

juſſu nummus eſt ornatus, quæ Pacem, Abundantiam, Felicitatemque omnigenam aperte indicant.

Ipſa *capita* rem pretioſam & notatu dignam, imo principatus, magnasque divitias ſignificare *Triſtanus* exiſtimat. Verba ejus in explicatione ſimilis nummi ita ſonant: *Le chef de l'homme à tousjours eſté pris pour augure, & ſymbole de quelque choſe de valeur, & de conſideration, parce, dit Artemidore liu. 1. chap. 18. τὰ χρήματα κεφάλαια καλεῖται que les Grecs appellent teſtes, l'argent, ou monnoye, & que ſonger d'avoir une grande teſte, eſt preſage de principauté pour le ſongeur, & qu'il iouyra des grandes richeſſes. Sur quoy Monſ. Rigault remarque qu'auſſi les Latins appellent* Summas, *& nous, ſommes d'argent, ce que les Grecs appellent κεφάλαια, & caput, le tribut ou vectigal, par les authoritez de Pollux, Juvenal, & Suidas.* *Comment. Hiſt. Tom. 1. p. 131.*

Cornucopia abundantiam & bonorum largitionem indicat in monumentis veterum, Græcis κέρας Ἀμαλθείας audit, cujus originem *Diodorus Siculus* L. III. p. m. 201. *Strabo* L. X. p. m. 315. 316. ex iisque *Mediobarbus*, p. 114. *Patinus* in Num. Impp. ex ære medio, p. 15. *Wolffg. Lazius*, Comment. Reip. Rom. L. 2. p. 289. 290. *Joh. Smetius*, in Antiq. Neomag. p. 100. aliique recentiores paſſim recenſent.

Caduceum Macrobius Saturnal. L. 1. c. 20. ita deſcribit: *Caduceum Ægyptii in ſpecie draconum maris & fœminæ conjunctorum figuraverunt Mercurio conſecrandum. Hi dracones parte media voluminis ſui invicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur, primaeque partes eorum reflexæ in circulum preſſis oſculis ambitum circuli jungunt, & poſtmodum caudæ revocantur ad capulum caducei:*

Cicero de Orat. L. 1. p.m. 182. *cei: ornanturq; alis ex eadem capuli parte naſcentibus*. Erat hoc inſigne fecialium, quod verba ad hoſtem facturi præferebant, eoque tuto accedebant, & recedebant, quos a Mer-
L. V. p. 341. curio inſtitutos *Diodorus Siculus* teſtatur. Alias autem Pacem, Concordiam, imo, ſi *Macrobio* fides, ipſam quoque hominum generationem eo denotabant. Quodſi cornu-
de ſacris Ægypt. literis L. XV. p. 116. copiæ caduceo adjiciatur, Felicitatis indicium eſſe *Pierius* ex nummis colligit. Plura vero de Caduceo notatu digniſſima obſervat Magnificus WEDELIUS, in Propempt. Inaug. de Nummis Caduceatis.

Patet igitur ex hactenus allatis, quanta ſpes, quan-
Tacitus Annal. IV. c. 15. taque expectatio in his Druſi filiis fuerit collocata, quam tamen triſtis fefellit exitus. *Idem* enim *annus* (quo *Druſus* mortuus erat) *alio quoque luctu Cæſarem adfecit, alterum ex geminis Druſi liberis exſtinguendo.* Alter vero,
Suetonius in Tiberio, c. 62. & in Caligula, c. 14. cum avo *Tiberio* nomen commune habens, *ab eo ut ex adulterio conceptus aſpernabatur.* Verum poſthæc Tiberius hunc nepotem ſuum teſtamento cohæredem C. Caligulæ dederat, a quo initio imperii occiſus fuit, quo de *Zonaras* Annal. Tom. 2. Εἰ γὰρ καὶ ὁ Τιβέριος καὶ τῷ ἰδίῳ ἐγγόνῳ τῷ Τιβερίῳ τὴν αὐταρχίαν κατέλιπεν, ἀλλ' ὁ Γάϊος τὰς διαθήκας αὐτοῦ εἰς τὸ συνέδριον πέμψας, ἀκύρους παρεσκεύασε γενέσθαι, ὡς παραφρονήσαντος, οἷα παιδὶ ᾧ μηδ' εἰσελθεῖν ἐξῆν εἰς τὸ βουλευτήριον, ἄρχειν τῶν Ῥωμαίων ἐπιτρέψαντος. τῆς μὲν οὖν ἀρχῆς αὐτὸν οὕτως αὐτίκα παρέλυσε, καὶ μετὰ τοῦτο εἰσποιησάμενος ἀπέκτεινεν ὡς τελευτῆσαι αὐτὸν εὐξάμενον. *Etſi Tiberius etiam Tiberio nepoti reliquerat imperium, tamen Cajus teſtamento ejus ut deliri in curiam miſſo effecit, ut aboleretur, cui per ætatem nec dum ingredi curiam liceret, Romanum imperium reliquiſſet.*

Atque

Atque ita principatum ei ſtatim ademit. Poſt, adoptatum interfecit, ut qui ipſe mori optaſſet.

III.

IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. P. M. *Imperator Cæſar Domitianus Auguſtus, Pontifex Maximus.* Caput Domitiani laurea coronatum.

DOMITIA. AVGVSTA. IMP. DOMIT. *Domitia Auguſta Imperatoris Domitiani.* Caput Domitiæ galericulo ornatum. Mariti & uxoris memoriæ propagandæ effigies eorum in utraque numiſmatis parte poſitæ reperiuntur, quod juxta *Patinum* nummum rarum efficit: *quoties enim,* inquit, *vir & uxor facies habent conjunctas, vel jugatæ ſint, vel adverſæ, toties nummus rarus habendus eſt.* Noſter præterea eſt ponderis duorum Ducatorum, cum octava parte unius. *Theſ. Numiſ. p. 163.*

DOMITIANVS Romæ natus eſt, patre Veſpaſiano COS. deſignato, matre Domitilla. Cumque Veſpaſianus a Senatu Imperator creatus eſſet, ipſe cum fratre TITO *Cæſar* deſignabatur. Defuncto patre, Titus a primo Imperii die Domitianum conſortem ſucceſſoremque teſtatus eſt. Non tamen ceſſavit Domitianus, ex eo inſidias ſtruere fratri clam palamque: quoad correptum gravi valetudine priusquam efflaret animam, pro mortuo deſeri juſſit, ipſeque ſolus principatum arripuit. Hic autem notari merentur, quæ de nomine CAESARIS *Spanhemius* Diſſ. VIII p. 661. diſſerit: *Adhibitum hoc diſcrimen in iisdem nummis videas, ut quæ Auguſti ſucceſſoribus ad Veſpaſiani tempora, cognominis loco cedebat* (nota); *poſtea mutata ſede prænominis vicem utplurimum occuparit, ac pro cognomento Auguſtorum liberis aut apparitori-* *Svetonius in Domitiano c. 1. & in Veſpaſiano c. 3. Dio, L. LXVI. p. 744. Svetonius in Tito c. 9. & in Domit. c. 2.*

tori-

toribus, ut eos vocat Ammianus, vulgo ſit relicta. Unde qui ante imperium DOMITIANVS CÆSAR vel AVRELIVS CAESAR in Nummis vulgo appellantur, eodem adepto, CAESAR DOMITIANVS, & CAESAR AVRELIVS, præter alios principatus titulos in iisdem deſignantur.

Vox IMPERATOR quia inſtar prænominis Domitiano tribuitur, ſummum itidem ſignificat imperium, quo in ſenſu omnium primus Julius Cæſar *Imperator* ſalutatus eſt, a quo omnes prope honorum tituli ad ſucceſſores derivati ſunt. Alias Romani illis ducibus Imperatorium nomen addebant, qui ex reipublicæ cauſſa victoriam erant conſecuti. Utroque autem ſignificatu hoc nomen ab Auguſtis uſurpatum fuiſſe *Dio* teſtatur, L. XLIII. p. 235. hoc plerumque cum diſcrimine: Cum prænominis locum occupat, ſupremam eorum auctoritatem in Republica ſignificat: Cum tanquam cognomen ponitur, rerum præclare bello geſtarum numerum. Idem *Bulengerus* de Imperatore & Imperio Romano L. 1. p. 1. ſeqq. & *Spanhemius* l. c. p. 685. ſeqq. ex aliorum auctorum nummorumque conſenſu prolixe oſtendunt.

AVGVSTI quoque cognomen ut proprium ſupremi faſtigii inſigne Domitiano adſcriptum cernimus, quippe quod ab omnibus fere Imperatoribus receptum fuit. De eo *Plinius* in Paneg. Traj. p. 81. *Nomine Auguſti admonemur ejus, cui primum dicatum eſt.*

Quanta fuerit PONTIFICIS MAXIMI dignitas, & cur inter Imperatorum titulos numerata, in proxime antecedentis Nummi explicatione vidimus.

Corona laurea, præcipuus Auguſtorum ornatus, non tantum in noſtro, ſed & in aliis plerumque nummis faſciâ præligata cernitur, quam loco Diadematis adhibuerunt,

Digitized by Google

runt, licet ipſum hoc regium inſigne capiti non admoverint. Primus quidem Julius Cæſar jus laureæ perpetuo geſtandæ a Senatu Populoque Romano accepit, teſte *Svetonio* in ejus vita, c. 45. ſed laurea in ipſius nummis ſemper absque faſcia conſpicitur, unde apparet, Cæſarem eam recuſaſſe, ne regnum affectare videretur. Refert tamen *Svetonius*, c. 79. *Cùm ſacrificio Latinarum revertente inter immodicas ac novas populi acclamationes quidam e turba ſtatuæ Cæſaris* coronam lauream candidâ faſciâ præligatam *impoſuiſſet & Tribuni plebis Epidius Marullus Cæſetiusque Flavus coronæ faſciam detrahi, hominemque duci in vincula juſſiſſent, dolentem Cæſarem ſeu parum proſpere motam regni mentionem, ſive ereptam ſibi gloriam recuſandi, Tribunos graviter increpitos, poteſtate privaſſe.* Auguſtum vero, & cunctos fere, qui in ejus dignitatem ſucceſſerunt, laureas faſciâ candidâ præligatas uſurpaſſe innumeri docent Nummi, in quibus raro ſine illo ornamento videntur.

Cæterum Domitianus vivo adhuc, ſed abſente patre omnem vim dominationis exercuit, ut jam tum, qualis futurus eſſet, oſtenderet. Ea tempeſtate *DOMITIAM Longinam* (cujus imaginem nummus oſtendit) *Ælio Lamiæ nuptam in matrimonium abduxit*, uti *Svetonius* memoriæ prodidit. *in Domit. c. 1.* Hujus rei meminit quoque *Dio*, mutato priorís mariti nomine: *L. LXVI. p. 746.* Καὶ τῷ ἔρωτι τῆς Δομιτίας τῆς Κορβούλωνος θυγατρὸς προσέχων ἐτύγχανε. ταύτην γὰρ Λουκίου Λαμίου Αἰμιλιανοῦ τοῦ ταύτης ἀνδρὸς ἀποσπάσας, τότε μὲν ἐν ταῖς ἐρωμέναις ἐποιήσατο, ὕστερον δὲ καὶ ἔγημεν. *Is animum ad amorem Domitiæ, filiæ Corbulonis applicaverat, eamque a Lucio Lamio Æmiliano, viro ejus, abductam ſecum habebat in numero amicarum, eandemque poſtea uxorem duxit.* Imperator

Sueton. c.3. rator factus ex ea in ſecundo ſuo Conſulatu filium tulit, *alteroque anno conſalutavit ut AVGVSTAM*, quod cognomen *Liviam* Auguſti uxorem poſt mortem mariti accepiſſe ex Dionis ſupra allato loco patet. *Plinius* L. XV. c. 30. *matrimonii nomen* vocat, ideo Domitiæ etiam in nummo *Dio, L. LXVII. p. m. 759.* eſt adſcriptum. Cum autem poſthæc Domitianus de cæde Domitiæ conſultaret propter admiſſum adulterium; capto conſilio, de ſententia Urſi eam repudiavit, & propter eandem etiam Paridem hiſtrionem, cujus amore de*Svetonius, c. 3. & 13.* perdita erat, in media via occidit. Intraque breve tempus impatiens diſſidii, quaſi efflagitante populo, eam reduxit. Neque dubitavit edicere, *revocatam eam in pulvinar ſuum:* acclamari etiam in Amphitheatro epulari die libenter audivit: *Domino & Dominæ feliciter.* His honoribus iſte quoque adnumerandus, quod Domitiæ effigiem ſuæ imagini in Nummis jungi permiſit, cujus luculentum teſtimonium ad hanc diem in auro præbet ra*Dio, l. c. p 766. Sveton. c. 14* riſſimum hoc Numiſma. Tandem *Domitianus*, terribilis cunctis & inviſus, amicorum libertorumque intimorum conſpiratione trucidatus eſt, adſcita in conſilium *Domitia*, ob amorem Paridis mortem adhuc formidante.

Supereſt, ut aliquid dicamus de ornatu illo, quem Domi*L. V. c. 35.* tiæ capiti cernimus adaptatum. Hic vero ex *Roſini* Antiq. Rom. *Dempſterique* adjectis annotationibus notum ſuppono, fœminas Romanas in diſponendis & adornandis crinibus ſummopere fuiſſe occupatas, quod ex variis auctorum *L. 2, Aſin.* teſtimoniis probant ſcriptores nominati. Quin imo *Apulejus* non dubitat ſcribere: *Tanta eſt capillamenti dignitas, ut quamvis auro, veſte, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat; tamen niſi capillum diſtrinxerit,*

Digitized by Google

xerit, ornata non poſſit abire. Hoc nimirum eſt illud, quod impulit mulieres, ut in tam diverſas formas capillos colligerent, quæ in admirationem traducunt antiquitatum ſcrutatores.

In noſtro nummo crines annulatim criſpati a fronte *Domitiæ* usque ad aurem ſunt demiſſi, ipſa aure nuda relicta. Aures enim quandam habere venuſtatem putabant, *nec in alia parte fœminis majus impendium, margaritis dependentibus*, dicit *Plinius* Nat. Hiſt. L. XI. c. 37. Unde in omnibus fere nummis, mulierum capita præferentibus, aures earum aſpectui cunctorum exhibentur, licet margaritæ non ubique dependeant. A vertice hujus Auguſtæ τριχοπλέγματα cervici imminent, indeque duplicata ad humeros usque fluunt. Totum vero hoc geſtamen contemplantes ſtatim animadvertunt, non naturalem Domitiæ comam eſſe, ſed adſcititiam, cum eo modo capiti ejus admota videatur, quo hodie mentita noſtrorum hominum cæſaries ſolet adhiberi. Etſi enim acu & calamiſtro capillos ſuos diverſimode formare poterant Romanæ mulieres, magis tamen placebant extranei, quam proprii. *Erat utique veterum fœminis illa ætate dedecori, ſuis capillis uti, non tam ob raritatem capillorum, quam ſi color non reſponderet lixivio, aut calamiſtro cincinnus*, verba ſunt *Otthonis Sperlingii*, Diſſert. de nummo Furiæ Sabiniæ Tranquillinæ p. 11. Idem cauſſam allatam p. 27. & 28. copioſius eloquitur: *De cauſa paucis adhuc tangam, quæ fœminas impulit galericulis & ſuggeſtis capillamentis potius uti quam ſuis: hæc erat nigricans ille capillorum color, nativus & perpetuus ferè Romanis, qui ipſis ſordebat & ingratus erat, ac nimium vulgaris, unde rutilantes & flavas expetebant*

comas, cendrez, argentez, blonds, *ut efferunt Galli, quibus ut placerent & ſemet oſtentarent fœminæ, in hoc vitium prolapſæ ſunt, ut galericula coloris albicantis & flaveſcentis in capillis paſſim adſciſcerent. Unde Juvenal. Sat. 6.*

Et nigrum flavo crinem abſcondente galero.

& Avienus, qui claruit Theodoſii Imp. ætate hoc exprimit apertius:

Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.

Hæc Sperlingius, docta ſane, & ob addita auctorum teſtimonia eruditorum ſuffragio digna, ut nihil fere dubitemus, quin Domitia etiam diſcolorem comam adhibuerit, ne nigricantibus nativis ridendam ſe præberet.

Id interea pro certo habemus, Domitiam *galericulum* in capite geſtare: quo nomine veniebant apud Romanos crines illi ſuppoſititii, quos Galli *Perruques* vocant, & Germani nunc tanti æſtimant. *Svetonius* in Othone c. 12. galericulum expreſſe inter ornamenta muliebria refert, quando Othonem ait fuiſſe *munditiarum pene muliebrium: vulſo corpore; galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignoſceret,* utrum veri ſint Othonis capilli, an adſcititii. (Vid. *Oiſelii* Theſ. Tab. III. n. VI. ubi galericulum Othonis optime eſt expreſſum.) Et *Tertullianus* cap. IV. de cultu fœminarum ſcribit: *Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum.* Hinc conſtat, Romanorum fœminas galericulis & fictitiis capillis uſas, & quomodo eos confecerint. Equidem *Caſaubonus* ad memoratum Svetonii locum annotat: *veteres pelles quaſdam paraſſe appoſi-*

poſitis crinibus humanis, ſic ut aptata capiti cutis vera non coma adſcititia videretur: & *Patinus* in notis ad Svetonium p. 362. putat, allata Tertulliani verba *de pellibus intelligenda eſſe crinibus humanis ita ornatis, ut ars naturam egregie imitari videretur:* Sed hic merito notanda *Sperlingii* obſervatio: *Quod Caſaubonus dixit de pellibus, quibus crines humani inſuebantur, haud equidem contradixero, vereor tamen ut illud ex antiquitate certa probari & elici queat, ſed ad alium uſum iſtas pelles ſpectaſſe ſatis docemur, non ad ornatum capitis, ſed ad illum defendendum, ne cum pulvere palæſtra nitidi & ornatiſſimi capilli conflictarentur. Ita Martialis l. 14. Epigr. 50. quod titulum habet galericuli, ſcribit:* l.c.p.13.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Quam ſententiam ſeqq. pagg. ulterius proſequitur. Et certe ſi recte attendimus, facile patet, Svetonium per galericulum, & Tertullianum per ſutilia atque textilia capillamenta non ejusmodi pellem intelligere, quam Martialis hoc nomine appellat: nec pellem, cui appoſiti fuerint crines humani: ſed potius comam alienam ad galeri effigiem formatam, cujus rationem Tertullianus optime explicaſſe videtur, dum *ſutilia atque textilia capillamenta* dicit. Suere enim duo disjuncta nervis ſeu filis colligare ſignificat, adeoque ſutilia ſunt capillamenta, quæ ſive filis ſive inter ſe ſunt conjuncta, ut aptari capiti poſſint. *Textilia* vero *capillamenta*, inquit Sperlingius, *videntur* p.25.26. *ea fuiſſe, non ſolum quæ textoria quadam arte compacta reperiuntur, qualia ſunt illa reticula omnia, quæ* Haarhauben *Germanis adhuc vocantur, ſed etiam ea textura illuc pertinet, quæ licio non fiebat, manibus vero digitisque im-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

plexa, galericulum efficiebat, cum ingenioſe conſuebatur. Latinis deeſt vocabulum, quo texturam ejusmodi ſignificent, Græcis dicuntur. τριχοπλέγματα, *Gallis*, des treſſes, *Germanis* Flechten. *Tricas Latine poſſes reddere, nam, quod rectè monet, Voſſii Etymologicon, omne quod implicatur & intricatur tricarum nomen haud reſpuere credit. Neque vero tricas ego ex Græco* τρίχες *derivandum cenſeo, ſed ex trinis quæ contriplicantur rebus, quæ proprie tricata, perplexa, & impedita vocari queunt. Rectè igitur Galli capillos tribus floccis implexos* des treſſes *dixerunt, nam ejusmodi capillorum tricas elegantiſſime diſpoſitas in galericulis fœminarum obſervare licet, inprimis apud Octavium de Strada in nummo Juliæ Titi filiæ n. 70. & 74. & Domitiæ, n. 73. tum aliá & aliâ ratione in nummis ſequentium Auguſtarum, quas ego Tertullianum præprimis per textilia capillamenta ſubindicaſſe credo.*

Itaque Domitiæ noſtræ galericulum etiam ex ſutilibus atque textilibus capillamentis confectum fuiſſe videtur. Sutilia ſunt, quæ ſupra crines annulatim criſpatos vocavimus, horum enim fine, conſuebantur aut conjungebantur: Textilia vero, τριχοπλέγματα illa a vertice retro in cervicem ducta, quæque ad humeros dependent, manibus ſcilicet digitisque fuerunt implexa.

IV.

SEVERVS. AVG. PART. MAX. P. M. TR. P. VIIII. *Severus Auguſtus, Parthicus Maximus, Pontifex Maximus, Tribunitia Poteſtate nonum.* Caput Severi laureatum.

AETERNIT. IMPERI. *Æternitas Imperii.* Capita

Cara-

Caracallæ & Getæ filiorum Severi, illius laureatum, hujus abſque laurea.

Si, quæ *Morellii* eſt obſervatio, rari ſunt nummi, qui duo capita Imperatorum exhibent, rariores vero, qui tria, hic certe inter rariores etiam numerandus. Præterquam enim quod integerrimus eſt & ſubtiliſſimus, ex auro adhuc puriſſimo conſtat, duosque Ducatos gravitate ſuperat. *Specim. p. 117.*

SEVERVS Africa oriundus interfecto Didio Juliano imperium obtinuit A. V. C. 946. Chriſti 193. Nummum noſtrum anno nono ejus imperii, orbis redemti 202. cuſum eſſe, tribunitiæ poteſtatis numerus indicat. Bella multa & feliciter geſſit, ſic ut nihil ſit, quod cum Severi contentionibus aut victoriis conferas, ſive copiarum multitudinem, ſive nationum motus, ſive numerum pugnarum, ſive itinerum longitudinem celeritatemque conſideres. VICTORIAM PARTHICAM MAXIMAM & nummi & Scriptores celebrant, ob quam PARTHICVS MAXIMVS dictus eſt. Nam debellatarum gentium cognomina, quemadmodum olim in libera Republica factum, ita Auguſti quoque reliquis ſui faſtigii titulis adſcribere ſolebant. Sic, teſte *Ælio Spartiano*, Severus *Arabicus*, *Adiabenicus*, *Parthicus* eſt appellatus, Parthis, Adiabenis & Arabibus ſuperatis. Sic Caracalla *Parthici* cognomen affectans, mirifica fraude Parthorum Regem circumvenit, quod factum crudelitatis & perfidiæ plenum fuſe deſcribit *Herodianus* L. IV. c. 10. *ÆliusSpartianus inSevero c. 1. Mediobarbus p. 227. Eutropius, Hiſt. Rom. L. VIII. Herodianus L. III. c. 7. Spartianus c. 16. c. 9.*

Superbus poſterioris areæ titulus demonſtrat, Severum per filios, quorum facies ſpectandas ſiſtit, AETERNITatem IMPERIo Romano promittere. Sperabat nimirum perpetuam familiæ ſuæ in Imperio ſuccesſionem, quam

quam felici prolis ſerie hi PRINCIPES JVVENTVTIS ſint extenſuri.

Spartianus c.10.& 16. Herodianus l.III.c.10.

Natu majoris *Antonini Baſſiani* caput laureatum eſt, quod ipſe jam *Auguſtus*, & in adminiſtrando Imperio patris lateri adjunctus erat: *Getam* vero minorem ætate *Cæſarem* dixerant milites, eo ſenſu, quo Imperii candidati hoc nomine compellabantur, cujus proinde caput nudum apparet. Adeoque iſti fratres cognomento ac poteſtate diſſimiles, ornamento quoque diſpari utebantur; cujus diſcriminis obſervationem ſolis nummis ſe debere *Triſtanus* fatetur.

Tom.II.p.71

Spartianus in vita Getæ, c. 1.

Utrumque ſucceſſorem habere voluit Severus, & hinc Getam quoque *Antonium* vocari juſſit. *Ælius Spartianus* in vita Severi c. 20. ſcribit: *Legiſſe me apud Ælium Maurum Phlegontis Tralliani libertum memini, Septimium Severum immoderatiſſime quum moreretur lætatum, quod duos Antoninos pari imperio reipublicæ relinqueret, exemplo Pii, qui Verum & Marcum Antoninos per adoptionem filios reipublicæ reliquit: hoc melius, quod ille filios per adoptionem, hic per ſe genitos, rectores Romanæ reipublicæ daret.* Attamen Severus ſatis proſpicere non potuit, quo minus ipſa filiorum diſcordia ſpem ſuam fefellerit atque ſuperarit. Etenim poſt ejus mortem Antoninus quidem & Geta ſuſceperunt Imperium pari poteſtate adminiſtrandum, deque eo inter ſe dividendo conſtituerunt, verum primo ſtatim anno Antoninus inſimulatum fratrem inſidiarum contra ſe cogitatarum, ſupra matris pectus interemit.

Herodianus l.IV.c.1.3. & 4.

V.

IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AFR. AVG.

Impe-

Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus Africanus Auguſtus. Caput Gordiani Africani iunioris laureatum, cum Chlamyde humero admota.

ROMAE AETERNAE. S. C. *Senatus-Conſulto.* Figura muliebris ſtolata & galeata clypeo inſidens, dextra victoriolam, ſiniſtra haſtam tenens.

Difficile quidem eſt, *Patino* teſte, dignoſcere in nummis Gordianorum Africanorum facies, præſertim cum uterque ſimilia habuerit nomina & cognomina, ſimiles dignitates: quia vero faciem juniorem noſter repræſentat, ideo filio hunc aſſignamus. *Theſ. Num. p. 196.197.*

Occiſo Alexandro Severo Maximinus Thrax ex turba militari ad imperium acceſſit, ſola militum voluntate, cum nulla Senatus interceſſiſſet auctoritas, neque ipſe Senator eſſet. Hic aſpere ferociterque adepta poteſtate utebatur, & ad id potiſſimum dabat operam, ut imperium ſibi ſævitia conſtabiliret. Sed, quia in milites quoque ſæviebat, exercitus qui in Africa erat ſubita & ingenti ſeditione GORDIANVM ſenem, virum graviſſimum, qui erat proconſul, *Imperatorem* fecit. Et primo quidem invitus Gordianus purpuram ſumpſerat: poſtea vero cum vidit neque filio, neque familiæ ſuæ tutum id eſſe, volens ſuſcepit imperium, & appellatus eſt ab omnibus Afris AVGVSTVS cum *filio* apud oppidum Thyſdrum: inde Carthaginem venit cum pompa regali, Romamque ad Senatum litteras miſit, quæ in odium Maximini gratanter acceptæ ſunt: *Appellati etiam Gordianus ſenex & Gordianus juvenis a Senatu AVGVSTI.* *Eutropius l. 9. Herodianus l. VII. c. 1. Julius Capitolinus in Maximin. c. 13. 14. Herodianus l. c. c. 4. ſeqq.*

Afri eo tempore Gordianum a ſe AFRICANVM appellaverunt. *Addunt quidam Africani cognomentum* *Herodianus cap. 5.*

 Gor-

Gordiano idcirco inditum, non, quod in Africa imperare cœpiſſet, ſed quod de Scipionum familia originem traheret. In plurimis autem libris invenio & hunc Gordianum (Seniorem), *& filium ejus pariter IMPERATORES appellatos, &* Antoninos *cognominatos: alii vero* Antonios: Hæc *Julius Capitolinus* in vita Gordian. c. 9. qui eandem ſententiarum de nomine *Antonini* varietatem in Opilio

c. 3. Macrino retulerat: *Nec inter Antoninos referendi ſunt duo Gordiani, qui aut prænomen tantum* Antoninorum *habuerunt, aut etiam* Antonii *dicti ſunt.* Nihilominus in vita Gordian. c. 17. aſſerit, Gordianum Seniorem *Antoninorum* cognomine ſemper eſſe nuncupatum, & *Antoninum* filium ſuum ſignificari voluiſſe. Et paulo poſt de Gordiano Juniore: *Primis diebus ſui natalis Antoninus eſt appellatus. Mox in Senatu Antonini nomen eſt editum, vulgo deinde Gordianus haberi cœptus.* Juxta Capitolinum igitur in nummo legendum eſſet *ANTon*inus. Sed *Lampridius* in Heliogabalo non dubitat ſcribere: *Hic* (Heliogabalus) *ultimus* Antoninorum *fuit, quamvis cognomine poſtea Gordianos multi Antoninos putent, qui ANTONII dicti ſunt, non Antonini.* Et *Adolphus Occo* p. 426. teſtatur, Græcos Gordianorum Nummos habe-

p. 258. 259. re ANTONIOC. Huc facit, quod *Onuphrius* in Faſtis

p. 272. & *Gruterus* in Corp. Inſcript. veteres lapides adducunt tertio Gordiano poſitos in quibus dicitur: M. ANTONIVS. Conf. *Sertorius Urſatus* de Notis Rom. p. 235.

Capitolinus in vita Gord. c. 11. Uterque vero Gordianus Senatui Populoque Romano gratiſſimus fuit. Lectis enim litteris a Gordiano Patre ad Senatum ſcriptis clamavit Senatus: *Gordianos Auguſtos appellamus; Gordianos Principes agnoſcimus Imperatores de Senatu Dii conſervent: Imperatores nobiles victo-*

Digitized by Google

victores videamus : Imperatores noſtros Roma videat. Nullum igitur eſt dubium, eos ex Senatus-Conſulto omnibus imperatoriis honoribus affectos eſſe, quorum haud poſtremus, quando Numiſmata cum eorum imaginibus cudebantur. Hic utique ſolennis erat Auguſtis Imperium capeſſentibus, & Senatus jam ante Gordianos in eam adulationis conſvetudinem venerat. Ita Severus communicato in ſpeciem imperio, *Albinum* Cæſarem appellavit, & quo omnia credibiliora forent, iisdem illis *ad Senatum relatis nummisque imagine ejus percuti juſſis*, ſtatuisque erectis, ſimul aliis collatis honoribus, fidem gratiæ ſuæ fecit, ut tradit *Herodianus* L. 2. c. 15. Diadumeno cum patre Macrino Imperatore ſalutato ſtatim apud Antiochiam *moneta ejus nomine percuſſa eſt: Macrini, usque ad juſſum Senatus dilata eſt,* teſte *Lampridio* in Diadumeno, c. 2. Gordianis idem accidiſſe nummi eorum ſuperſtites abunde probant, qui, uti obſervat *Patinus*, *rariſſimi ſunt ex quovis metallo: argentei ſupra æreos, aurei ſupra cæteros.* *Theſ. p. 86.* Inter alios *Gordiani* junioris nummos aureus noſter elegantia atque raritate nulli eſt ſecundus, utpote qui ex auro nemini, quod ſciam, memoratus, ac ſex fere Coronatos pondere exæquat. Eum juſſu Senatus Romani cuſum eſſe nota SC. indicat. (Vide de his litteris explicationem nummi ſecundi aurei.)

Averſa pars exprimit ſedentis Deæ ſimulacrum, ROMAE AETERNAE nomine inſignitum. Eo ſcilicet Romanorum proceſſit inſania, ut divinos honores urbi ſuæ tribuerent, eique templa & aras ædificarent, nec non Sacerdotes conſtituerent. Inde *Martialis:* *l. 12. Epig. 8.*

Terrarum DEA gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Inde tot nummi ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ celebrant, quorum *Harduinus* in Num. pop. & urb. illuſtr. p. 424. ſeqq. mentionem facit. Inde *FleetVVoot* Inſcriptionem vulgavit, quæ Sacerdoti hujus Deæ fuit dedicata: *Tullia. M. F. viva. fecit. ſibi. & . ſuis. M. Tullio. M. F. Cor. Cratippo. Fratri. ſuo.* Sacerdoti. Romæ. *& Salutis.* Inde apud *Oiſelium* nummus Claudii II. templum ſex columnarum exhibet, in cujus meditullio *Roma, Dea inſtar* ſedet, eo prorſus, quo in noſtro, habitu. Comam premit galea criſta ornata, ſiniſtra haſtam præfert, inſidet clypeo: bellatricem namque Deam volebant videri. Dextra tenet victoriolam; *cum enim bellica artis peritia & prudentia prævalere exiſtimetur, conſequens etiam eſt, ut Victoriam reportet,* ſi huc applicare licet verba *Auctoris Etymologici Magni* ab *Oiſelio* citata, quæ de *Minerva* ille pronuntiat. Quin & Romam ad effigiem *Minervæ* effictam, teſtatur *Claudianus:*

in Syllog. Inſcr. part. I. p. 133. Tab. LII. n. 7.

p. 313.

Roma *triumphatis qua poſſidet æthera regnis*
Aſſilit innupta ritus imitata Minervæ.

L. 3. c. 18. Alias quoque *victrix Aſiæ Europæque* Roma *Floro* dicitur. Sigillatim hoc nummo indicatur, Romanam Rempublicam tyrannide Maximini equidem preſſam, non tamen oppreſſam, ſed virtute Gordiani liberatam eſſe, victoriamque reportaſſe.

Vid. Occo p. 238. 256. 321. 416. & 426. itẽ Vaillant T. 2. p. 140. Sed & ROMAE AETERNAE elogium huic Deæ adſcribitur, idque tam in Hadriani, Antonini Pii, Commodi, Alexandri Severi, aliorumque, maxime Gordianorum nummis fieri conſvevit, quam apud multos Romanarum rerum Scriptores. *Auſonius* Gregorium,

Digitized by Google

cui Faſtorum ſuorum libros nuncupavit, ita alloquitur:

Ignota AETERNAE ne ſint tibi tempora ROMAE. *Urbs æterna* audit *Symmacho* & *Ammiano Marcellino* paſſim, atque hoc epitheto a cæteris urbibus dignoſcitur. Et licet hæc poſterior appellatio, *Spanhemio* teſte, vix ante Antoninorum tempora occurrat in monumentis antiquis, quorum ævo demum templum VRBI AETERNAE erectum accepimus; priſca tamen fuit Romanorum opinio, Vrbem ſuam æternam fore. Unde ea ortum trahat, *Florus* L. 1. c. 7. memoriæ prodidit: Tarquinius Superbus *de manubiis captarum urbium templum erexit* (Jovi Capitolino) *quod quum inaugurareţur, cedentibus ceteris Deis* (*mira res dictu*) *reſtitere Juventas & Terminus: Placuit vatibus contumacia numinum. ſiquidem firma omnia & AETERNA pollicebantur.* Eandem rem narrant *Livius, Dionyſius Hal.* & *Plutarchus*, diſſentiunt autem in quibusdam circumſtantiis. D. *Auguſtinus* quoque de C. D. L. IV. c. 23. prolixe refert hoc auſpicium, ſed cap. 29. irridet illud, eoque deceptos fuiſſe Romanos oſtendit. Add. *Jo. Bap. Caſalius* de Vrbis ac Rom. Imperii ſplendore, Part. I. cap. XXV. p. 122. ſeqq.

Diſſ. V. p. 415.

VI.

IMP. C. M. Q. TRAIANVS. DECIVS. AVG. *Imperator Cæſar Meſſius Quintus Trajanus Decius Auguſtus.* Caput Decii Patris radiatum, cum pectore armato.

FELICITAS SAECVLI. SC. Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra Caduceum tenet, læva Cornucopiæ.

Digitized by Google

Zoſimus l. 1. p.m.6. Zonaras T. 2.p.229. Victor de Caſ.p.561. Pomponius Lætus Ro. Hiſt. l. 1. f. 1111.

DECIVS familia dignitateque præſtans, & omnibus præterea virtutibus ornatus, ab exercitu Illyrico contra Philippum Arabem *Imperator* factus, mox occiſo Philippo ſummo potitus eſt Imperio. Deinde Romam profectus poteſtatem, quam ſuſceperat, firmavit, atque a Senatu AVGVSTVS eſt appellatus. Bonitate TRAIANO adæquatus, nomenque optimi Principis judicio Senatus meruit. Hinc in nummis & in inſcriptione apud *Gruterum* p.273. TRAIANVS DECIVS vocatur.

Corona radiata, qua caput Decii cingitur, numinum propria fuit. Initium nomenque ducit a Sole, cujus caput, quando inſtar Dei ſpecie humana pingitur, radiis redimitum in nummis apparet. Ex duodecim apicibus triangularibus contexta erat, pro numero ſignorum Zodiaci. *Virgilius* Æn. XII. de Latino:

cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen.

Tribuebatur etiam Imperatoribus Romanis, prioribus quidem non niſi jam inter Divos relatis; poſterioribus vero vivis & mortuis promiſcue, ut per eam divinitatis

p.m.46. quandam ſpeciem oſtentarent. Hinc *Plinius* in Panegyrico Trajani: *Horum unum ſi præſtitiſſet alius, illi jamdudum* radiatum caput, & *media inter Deos ſedes auro ſtaret aut ebore, auguſtioribusque aris & grandioribus victimis invocaretur.* Plenius de hac corona diſſerit *celeberrimus quidam Antiquarius* apud *Hottingerum* Diſſ. de Nummis Oriental. p. 115. ſeqq. Add. *Bulengerus* de Imperat. Rom. L. IX. p. 87. & *Wolffg. Lazius* Comment. Reip. Rom. L. IX. p. 799.

f. 111. Decius autem, referente *Pomponio Læto*, *cupiens* nihil

agere,

agere, niſi quantum Senatus juberet, *cenſuram ampliſſimo ordini permiſit. Jus quoque quinta relationis & Proconſulare imperium, unde Auguſti omnes, Proconſulibus, nec non & jus Trib. pot. quod Auguſtus primus ſibi perpetuo vindicaverat, arbitrio S. P. Q. R. permiſit.*

Cum igitur Decius Senatum Romanum in tanto habuerit honore, nemini mirum videri debet, quod ei etiam conceſſerit notam ſuam SC. in aureo hoc numiſmate ponere. Et, ſi Trajanus (quæ *Freberi* & *Wagenſeilii* eſt ſententia locis ſupra circa N. II. aureum memoratis) ex ſingulari modeſtia facultatem dedit Senatui e nobilioribus metallis nummos ſignandi; idem certe de Decio erit aſſerendum, quippe qui *bonitate TRAIANO adæquatus eſt.* Cæterum raritatem eximiam huic nummo conciliat ejus magnitudo, ſiquidem, juxta *Patini* effatum, *omnia illa Numiſmata aurea, quæ magnitudinem communem excedunt, ſunt rariſſima.* Ac ſpeciatim *Trajani Decii nummos ex auro inter rariores numerat Jo. Vaillant.* Imo illud adhuc noſtri pretium adauget, quod $8\frac{1}{2}$ Coronatis pondere par eſt. *Introd. cap. VII.* *T. 2. p. 153.*

In eo figura muliebris FELICITATEM SAECVLI repræſentat. Manu altera caduceum tenet terræ impoſitum, ad conſtantiam & permanentiam ejus deſignandam; altera cornucopiæ gerit. Nimirum pax & omnium rerum abundantia felicitatem Sæculi conficiunt. Hinc *Auguſtinus* de C. D. per totum cap. XXIII. L. IV. felicitatem maximopere commendat, quæritque: *Cur tam ſero* huic tantæ deæ *poſt tot Romanos principes Lucullus ædem conſtituit?* ſub finem autem capitis illum Deum quæri jubet, qui felicitatem dare poſſit, & deorum falſorum multitudinem noxiam relinqui. Si vero quis amplius

Digitized by Google

plius ſcire deſiderat, quid ſit *Felicitas ſæculi* in nummo laudata; huic *Vellejus Paterculus* brevem quidem, ſed admodum concinnam deſcriptionem ſiſtet, quando de felicitate tempore Auguſti Romanæ Reipublicæ parta L. II. c. 89. ita loquitur: *Finita bella civilia, ſepulta externa, revocata pax, ſopitus ubique armorum furor: reſtituta vis legibus, judiciis auctoritas, Senatui majeſtas; imperium magiſtratuum ad priſtinum redactum modum; priſca illa & antiqua reipublicæ forma revocata; rediit cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa cuique rerum ſuarum poſſeſſio, leges emendatæ utiliter, latæ ſalubriter, Senatus ſine aſperitate, nec ſine ſeveritate lectus. Bella ſub Imperatore geſta; pacatusque victoriis terrarum orbis.* Pleraque ad Decii Imperium applicari poſſe apparebit, ſi conſideres ea, quæ hactenus ex variis ſcriptoribus allata ſunt, & quæ *Zoſimus* de Decio profert: *Eum Scythas aggreſſum omnibus præliis ſuperiorem fuiſſe; Res ei ex animi ſententia ſucceſſiſſe; atque ſic optime imperium adminiſtraſſe.* Plures habuiſſet laudatores, ſi a perſecutione atrociſſima, quam contra Chriſtianos ad inſaniam usque inſtituit, abſtinuiſſet. Et hæc cauſa eſſe videtur *Hemelario* p. 137. & *Caſaubono*, de iis qui poſt Gordianum tertium principes fuerunt, in notis ad Scriptores Hiſt. Aug. p. m. 166. quod Decii res geſtæ in hiſtoriæ Cæſareæ corpore deſiderantur. Neque FELICITAS illa diu duravit: biennio enim Imperii nondum exacto Decius contra Gothos infeliciter pugnans, in voragine paludis periit, ita ut nec cadaver ejus potuerit inveniri.

p. 6.

Pomp. Lætus, f. III.

Zonaras, T. 2. p. 231.

Digitized by Google

SELECTA NVMISMATA ARGENTEA.

I.

SCalpturæ elegantia ſummopere commendat hoc Numiſma, quæ mira ſane & tanta eſt, ut neque calamo neque graphio ſatis exprimi potuerit. Magnitudine, ſi craſſitiem addas, æreos ex ære magno æmulatur. Unciale eſt, & argenti puritas & nitor omnibus numeris abſolutam reddunt ejus præſtantiam.

Artemiſiæ facies primo ſtatim intuitu apparet; ubi merito admiratio quædam intuentes tenet, ſive decus oris formamque ſuaviſſimam & vere regiam, ſive circinatos crines, diadema, & velum poſteriori capitis parti admotum meditentur. Et alii quoque nummi quotquot videre licuit (quo etiam referimus illum in Muſæo Boſiano-Sagittariano obſervatum) in nitida Artemiſiæ facie exprimenda certant.

Averſæ partis aſpectu fere obſtupeſcunt, videntes frontem dextrumque latus monumenti ſplendidiſſimi, ſecundum Perſpectivæ artis regulas delineati. Inſcriptio: ΑΡΤΕΜΙΣΙΑΣ, prodit, ſepulchrum eſſe notiſſimum, ab *Artemiſia* in memoriam defuncti mariti *Mauſoli* conditum, & *Mauſolei* nomine inter ſeptem mundi miracula numeratum.

Mauſolus fuit, ut M. Tullius ait, rex Cariæ; ut quidam Græcarum hiſtoriarum ſcriptores, provinciæ Græciæ præfectus. Satrapen Græci vocant. Verba ſunt *A. Gellii* L. 10. c. 18. A *Diodoro Siculo* vocatur Καρίας δυναστεύων, *L. XV. p. 398*
item δυνάστης, annumeraturque ſatrapis & ducibus, cum *L. XVI.*
quibus Artaxerxi belligerandum fuit. *Strabo* de ejus fa- *p. 435.*
milia ſequentia habet: Ἑκατόμνω γὰρ τοῦ Καρῶν βασιλέως, *Geogr. L.*
XIV. p. 451.

ἦσαν υἱοὶ τρεῖς, Μαύσωλος, καὶ Ἰδριεὺς, καὶ Πιξώδαρος. καὶ θυγατέρες δύο, ὧν ἡ πρεσβυτέρα Ἀρτεμισία συνῴκησε τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν ἀδελφῶν Μαυσώλῳ. ὁ δὲ δεύτερος Ἰδριεὺς Ἄδᾳ τῇ ἑτέρᾳ ἀδελφῇ. ἐβασίλευε δὲ Μαύσωλος. τελευτῶν δ᾽ ἄτεκνος, τὴν ἀρχὴν κατέλιπε τῇ γυναικί. *Etenim Hecatomno Cariæ regi tres fuerunt filii, Mauſolus, Hidrieus, & Pixodarus: filiæ duæ: quarum major natu Artemiſia conjunx fuit fratris ætate primi Mauſoli: ſecundam in matrimonio habuit Adam Hidrieus. Mauſolus regnum tenuit: qui ſine prole decedens, id uxori reliquit.* Magni nominis caſtella & oppida in ditione ſua habuit Mauſolus, ſedes erat Halicarnaſſus, arx magnifica, & dominorum Cariæ regia. Poſt XXIV. regni annum e vivis exemtus eſt, eique Artemiſia ſoror & conjux ad biennium ſucceſſit. Hæc eſt illa ARTEMISIA, cujus imaginem in nummo noſtro videre licet.

Diodorus Siculus & Strabo ll.cc.

Diod. L. XIV. p. 435.

Caput ejus velo atque Diademate tectum eſt, unde non immerito ſuſpicari quis poſſet, Artemiſiam a ſuis inter Deas relatam eſſe. Ea enim ratione ſæpe fingebatur Dearum habitus. Junonem plane deſcribit ita *Martianus Capella*, cujus verba ex L. 1. de Nupt. Phil. & Merc. citat *Cuperus* in Explicatione Gemmæ Aug. *Hujus ſuggeſtui Junonis ſubditus conſeſſus, baud indecenter ornatus, ipſa vero TECTO CAPITE lacteo quodam calymmate prænitebat. Cui GEMMIS INSITVM DIADEMA PRECIOSIS.* Et *Æternitati* nec non *Philologiæ* in deorum ordinem adſcribendæ diadema tribuit idem *Martianus*, teſte *Cupero*. Apud *Oiſelium* PIETAS, LXXVI. 4. CONCORDIA, LXXXIV. 1 LIBERTAS, LXXXVI. 9. capite velato occurrunt. Imo in nummis Auguſtarum inter DIVAS relatarum pars poſterior capitis tecta tanquam divinitatis nota reperitur. Sic DIVA AVGVSTA FAVSTINA, DIVA FAVSTINA PIA, DIVA PAVLINA,

p. 208. 209.

DIVA

Digitized by Google

DIVA MARINIANA, velatæ cernuntur apud *Hemelarium* Tab. 26. 31. 39. & 43. Conjecturam vero noſtram magis confirmat paulo poſt adducendus *Plinii* locus, ubi Artemiſiam mortuam eſſe ait, antequam abſolveretur Mauſolei ſtructura. Huic ſi addas, quæ de divinitatis ſignis capiti Artemiſiæ admotis hactenus diſſerui, facile concedes, Mauſoleum depingi non potuiſſe, priusquam exſtructum fuerit, adeoque bene Artemiſiam tanquam Deam ſpectari in eo nummo, in quo celebratiſſimum illud ſepulchrum repræſentatur. Alias non dubitarem, *velamen Artemiſiæ de lugentis & contriſtatæ ſigno* explicare, quam capitis velati ſignificationem una cum aliis ex variis auctoribus probat Excellentiſſimus WEDELIUS, in Propempt. Inaug. de Nummis capite velato. Certe maximos luctus, in quos poſt mariti obitum incidit Artemiſia, *Cicero* & Valerius Maximus admirantur. Ille quidem Tuſcul. L. III. p. m. 225. *Artemiſia*, inquiens, *illa Mauſoli, Cariæ regis, uxor, quæ nobile illud Halicarnaſſi fecit ſepulchrum, quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit.* Hic vero L. IV. c. 6. ſequentibus verbis: *Gentis Cariæ regina Artemiſia virum ſuum Mauſolum fato abſumptum quantopere deſiderarit, leve eſt, poſt conquiſitorum omnis generis honorum, monimentique usque ad ſeptem miracula provecti, magnificentiam, argumentari. Quid enim aut eos colligas, aut de illo inclyto tumulo loquare, cum ipſa Mauſoli vivum ac ſpirans ſepulchrum fieri concupierit, eorum teſtimonio, qui illam extincti oſſa potione aſperſa bibiſſe tradunt?*

Verum præcipue Mauſolei ratio nobis eſt habenda, ejusque deſcriptio ex *Plinio* petenda, qui omnium optime & copioſiſſime eam adornavit: *Scopas*, inquit, *habuit* *L. XXXVI. c. 5.*

 æmu-

æmulos eadem ætate Bryaxin & Timotheum, & Leocharem, de quibus ſimul dicendũ eſt, quoniam pariter calavere MAVSOLEVM. Sepulchrum hoc eſt ab uxore Artemiſia *factum Mauſolo Cariæ regulo, qui obiit Olympiadis centeſima anno ſecundo. Opus id ut eſſet inter ſeptem miracula, ii maxime artifices fecere: Patet ab Auſtro & Septentrione ſexagenos ternos pedes, brevius à frontibus, toto circuitu pedes quadringentos undecim. Attollitur in altitudinem viginti quinque cubitis: cingitur columnis triginta ſex. Ab Oriente calavit Scopas, a Septentrione Bryaxis, a Meridie Timotheus, ab Occaſu Leochares.* Priusque quam peragerent, regina Artemiſia, quæ mariti memoriæ id opus extrui juſſerat, obiit. *Non tamen receſſerunt, niſi abſoluta jam, id gloriæ ipſorum artisque monumentum judicantes: hodieque certant manus. Acceſſit & quintus artifex. Namque ſupra pteron pyramis altitudine inferiorem æquavit, viginti quatuor gradibus in metæ cacumen ſe contrahens. In ſummo eſt quadriga marmorea, quam fecit Pythis. Hac adjecta centum quadraginta pedum altitudine totum opus includit.* Omnia in nummo expreſſa ſunt, quoad anguſtia areæ capere potuit. Equidem *Gisbertus Cuperus*, in Explicatione Numiſatum antiquorum Apotheoſi Homeri ſubjecta, p. 236. & *E. G. Happelius* in Relationibus curioſis Tom. I. p. 359. etiam nummos adducunt monumentum ejusmodi exhibentes, addita Inſcriptione: ΜΑΥΣΩΛΕΙΟΝ: ſed illi cum noſtro nequaquam comparari poſſunt, quippe qui faciem tantum anteriorem Mauſolei, nec fide ſatis dignam, repræſentant, in noſtro autem (uti dictum) frontis & unius lateris delineatio conſpicitur, optime cum Plinii deſcriptione conveniens. Adſunt columnæ elegantiſſimæ, *ſupra pteron*, i. e. ſu-

i. e. ſupra ſummos Mauſolei muros exſtructa pyramis tot gradibus, quot in tam exiguo ſpatio exprimi potuerunt, in metæ cacumen ſe contrahit, in ſummo eſt quadriga. Hæc autem omnia immane quantum turbaret *Vitruvius*, L.2.c.8. aliamque longe formam Mauſoleo adſcriberet, niſi ejus verba cum Plinii deſcriptione laudatus *Cuperus* optime p.239.ſeqq. conciliaſſet, horumque auctorum conſenſum contra Allatium aliosque firmiſſime ſtabiliviſſet.

Quadrigam illam marmoream, quæ in ſummo pyramidis viſitur, ornamenti loco, operi ſuperimpoſitam fuiſſe judicamus. Quo in paſſu conſentientem habemus Jo. Schefferum de re vehic. lib. I. c. 18. p. 252., dum ſcribit, veteres hoc genere ornare templa maxime in ſummo ſolitos. *Teſtantur*, inquit, *Primo nummi veteres ingenti copia, Græci Latinique, ut & monumenta alia. Deinde Scriptores:* Juſtinus de templo Delphici Apollinis lib. 24. c. 7 & Propertius lib. 2. eleg. 3. de templo Apollinis Palatini Romæ. Formatos porro ſcribit hos currus primum ex auro, dein ex ære, nonnunquam auro inductos, interdum etiam fictiles. Adde ergo noſtram quadrigam ex marmore, ſimiliter ornatus gratia fuiſſe ſupra faſtigium totius operis poſitam.

Excellens igitur Mauſolei pulchritudo movit *Lucianum*, ut in Dialogo *Diogenis & Mauſoli* fingat, Mauſolum ob hoc ſuum ſepulchrum dignum ſe credere, qui omnibus defunctis apud inferos anteponatur. Ita enim Mauſolum loquentem introducit *Eraſmo Roterodamo* Interprete: p. m. 203. 204. *Quod eſt omnium maximum, in Halicarnaſſo monumentum erectum habeo, ſingulari magnitudine, quantum videlicet defunctorum alius nemo poſſidet, neque pari etiam pulchritudine conditum, viris ſcilicet atque equis, pulcherrimo*

rimo e ſaxo ad vivam formam abſolutiſſimo artificio expreſſis, adeo ut vel phanum aliquod ſimile haud facile quis inveniat. Ab eodem ſepulchro, Mauſolo Halicarnaſſi tanta operis magnitudine, omnique ornamentorum magnificentia erecto, Romani magnificentiſſima quæque apud ſe monumenta, *Mauſolea* (Μαυσωλεῖα) appellarunt, ut eſt apud *Pauſaniam* in Arcadicis, p. 482.

II.

GALBA IMP. *Galba Imperator.* Eques paludatus. HISPANIA. Caput muliebre clypeo impoſitum, ante faciem duæ ſpicæ, poſt eam duæ haſtæ.

Famil. Rom. p. 250. 253. Similem nummum affert *Fulvius Urſinus* in Sulpiciæ gentis denariis, dubitat vero, cuinam Galbæ adſcribendus ſit: *Niſi,* inquit, *ad Ser. Galbam, qui Romæ imperavit, referatur, dubium non eſt, quin Ser. Sulpicio tribuendus ſit ei, a quo Galba Imp. genus duxiſſe dicitur. De eo Svetonius meminit lib. VII. cap. III. his verbis: Familiam illuſtravit Ser. Galba Conſularis temporum ſuorum eloquentiſſimus: quem tradunt Hiſpaniam ex Prætura obtinentem XXX Luſitanorum millibus perfidia trucidatis Viriatini belli cauſam extitiſſe.* Sed *Patinus*, in Svetonio p. 345. *Mediobarbus*, p. 99. & *Jo. Vaillant* T. 2. p. 41. inter Galbæ Imperatoris numiſmata recenſent. Vaillant addit: *Hic nummus argenteus apud Dominam Leſcot, Pariſiis, & aureus in Theſ. Regio, rariſſimus eſt.* Tantorum virorum ſuffragio nixus hunc nummum drachmalem antiquitatem non minus, quam raritatem oſtentantem Imperatori Galbæ quoque adſcribo, cujus aſſerti ratio in ſequentibus reddetur magis explorata.

E GAL-

GALBA primus poſt Auguſti genus finitum, ex reliquis unus Romanorum ſummam rerum obtinuit. Tribus & ſeptuaginta annis quinque Principes proſpera fortuna emenſus, & alieno Imperio felicior quam ſuo. Vetus in familia nobilitas, magnæ opes. Dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit. Proconſul Africam moderate: jam ſenior, *citeriorem Hiſpaniam* pari juſtitia continuit. Octavo, quo provinciam regebat, anno Julius Vindex Galliæ proprætor adverſus Neronem rebellavit, Galbæque imperium obtulit. Nec diu cunctatus Galba conditionem partim metu, partim ſpe recepit. Vix autem pro tribunali conſpectus eſt, cum omnes una voce IMPERATOREM eum conſalutavere. Quod nomen ille non ſtatim agnovit, ſed patriæ ſe ſolicitudinem ſuam præſtiturum oſtendit, non *Cæſaris*, neque *Imperatoris*, ſed *legati Senatus ac populi Romani* nomine. Paulo poſt ſupervenientibus ab Urbe nuntiis, ut occiſum Neronem, cunctoſque in verba ſua juraſſe cognovit, depoſita Legati, ſuſcepit *Cæſaris* & IMPERATORIS appellationem. Hinc de Nummis Galbæ *Patinus* in Theſ. Num. p. 56. *Iis forte ob libertatis quandam indicandam ſpeciem, nulla ſculpta fuit facies: in aliis Galbæ videtur effigies ſed abſque Auguſti titulo; quaſi ille tantum Reipublicæ ob Neronis facinora labenti Præfectus eſſet: in iis etiam tantum IMPERATOR nominatur, quod tunc temporis dignitatem minus indicabat quam officium. Fortaſſis Galbæ in Neronem odium fecit, ut ab ejus dignitatibus & titulis abſtineret.*

Dio, L. LVI. p. 675. Tacitus, 1. Hiſt. c. 49. Svetonius in Galba c. 2. 7. ſeqq. Plutarchus in Galba p. 1054 ſeqq

Plutarchus, p. 1055.

Svetonius c. 10. & 11.

Eques paludatus, qui in prima Nummi parte ſignatus eſt, *Urſini* & *Mediobarbi* judicio poteſt ad Galbæ equeſtrem aliquam ſtatuam pertinere, quæ ab Hiſpanis ei decreta

Wolffg. La-zius, Comment. Reip. Rom. L. IX. p. 812.

creta fuerit. Equeſtris ſtatua erat, cum equo ad curſum incitato aliquis inſidens ſculpebatur: eaque imago ex ære, vel lapide, vel ebore facta ponebatur loco celebri. *Plinius* Nat. Hiſt. XXXIV. c. 5. *Equeſtres utique ſtatuæ Romanam celebrationem habent, orto ſine dubio a Græcis exemplo.* Capite XXXIII. dixerat: *Effigies hominum non ſolebant exprimi, niſi aliqua illuſtri cauſa perpetuitatem merentium.* Galba in Hiſpania natus, Hiſpaniamque Tarraconenſem Proconſul gubernans, maximum hunc honorem ſibi haberi meruit, ejusque memoriam hoc nummo ſervari voluit.

In altera vero parte HISPANIA repræſentatur ſub ſchemate capitis fœminini, comati & ariſtis coronati. Clypeus & haſtæ incolarum fortitudinem deſignant. Inde *Florus* l. 2. c. 6. *bellatricem illam viris armisque nobilem Hiſpaniam* laudat. Imo Antonius apud *Tacitum* III. Hiſt. 53. *Gallias Hiſpaniasque validiſſimam terrarum partem* appellat.

Spicæ & ariſtæ pro ſymbolo habentur ubertatis agrorum, abundantiæque rerum omnium. Hanc *Plinius* paſſim *Hiſpaniæ* adſcribit, inprimis L. XXXVII. c. 13. ubi poſtquam de Italia dixerat: *Quicquid eſt, quo carere vita non debeat, nusquam eſt præſtantius: fruges, vinum, olea, vellera, lina, veſtes, juvenci. Ne equos quidem in trigariis præferri ullos vernaculis animadverto. Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nullis ceſſit: & iis nunc in ſe gravida pro omni dote varios ſuccos & frugum pomorumque ſapores fundit:* Addit: *Ab ea exceptis Indiæ fabuloſis, proxime quidem duxerim* Hiſpaniam, *quacunque ambitur mari.* Et Epitomator Trogi *Juſtinus* L. XLIV. c. 1. priſtinam *Hiſpaniæ* fertilitatem apertius

expo-

Digitized by Google

exponit: *In omnia frugum genera fœcunda eſt, adeo ut non ipſis tantum incolis, verum etiam Italiæ, urbique Romanæ cunctarum rerum abundantia ſufficiat. Hinc enim non frumenti tantum magna copia eſt, verum & vini, mellis, oleique. Nec ferri ſolum materia præcipua eſt, ſed & equorum pernices greges: nec ſumma tantum terræ laudanda bona, verum & abſtruſorum metallorum felices divitiæ: Jam lini, ſpartique vis ingens: minii certe nulla feracior terra.* Sed hodie de tanta rerum affluentia Hiſpania nequit gloriari.

III.

IMP. CAESAR. VESPAS. AVG. COS. III. TR. P. P. P. *Imperator Cæſar Veſpaſianus, Auguſtus, Conſul tertium, tribunitia poteſtate, Pater patriæ.* Caput Veſpaſiani laureatum.

PACI. ORB. TERR AVG. *Paci Orbis Terrarum Auguſtæ.* Caput muliebre corona quadam cinctum.

Appoſitæ litteræ EPE. vel EPH. nummum *Epheſi* cuſum indicant, ſi *Patino* fides, qui easdem in alio Veſpaſiani nummo occurrentes ita explicat Theſ. Num. p. 58. Alias raritas & metalli bonitas hunc nummum commendant, qui, etſi detrimentum quoddam perpeſſus ſit, tribus tamen drachmis eſt ponderoſior.

Rebellione trium Principum & cæde, incertum diu & quaſi vagum Imperium ſuſcepit firmavitque tandem gens Flavia, & ex ea Fl. VESPASIANVS. Hic per militarem induſtriam ad imperium emerſit, ut qui a Claudio in Germaniam, deinde in Britanniam miſſus, vicies & bis cum hoſte conflixit; duas validiſſimas gentes, XX oppida, inſulam Vectem Britanniæ proximam, imperio Romano adjecit. Quare triumphalia ornamenta, duplex Sacer-

Svetonius in Veſpaſ. c.1.
Eutropius l. VII.
Svetonius c. 4.

Digitized by Google

dotium, Conſulatum & Proconſulatum meruit. Dehinc cum ad motum Judæorum comprimendum exercitu ampliore Duceque forti & prudenti opus eſſet, ipſe potiſſimum delectus eſt. Profligaverat bellum Judaicum, reſtabat Hieroſolymorum oppugnatio magis arduum opus, cum amici militesque eum hortabantur, ut Principatum contra Vitellium ſuſciperet. Initium conferendi Veſpaſiano Imperii Alexandriæ factum, feſtinante Tiberio Alexandro præfecto Ægypti, qui Kalendis Juliis ſacramento ejus legiones adegit. Isque primus Principatus dies inpoſterum celebratur, quamvis Judaicus exercitus quinto Nonas Julias juramentum præſtitiſſet. Dum quæritur tempus locusque, quodque in re tali difficillimum eſt, prima vox, egreſſum cubiculo Veſpaſianum, pauci milites, ſolito adſiſtentes ordine, ut Legatum ſalutaturi, IMPERATOREM ſalutavere. Tum cæteri accurrere, CAESAREM & AVGVSTVM, & omnia Principatus vocabula cumulare. Suſcepto igitur civili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmiſſis, interim Alexandriam tranſiit, ut clauſtra Ægypti obtineret. Ac ſtatim advenere litteræ, fuſas apud Cremonam Vitellii copias, ipſum in Urbe interemtum nuntiantes. Tunc Veſpaſianus magna cum fama ad Urbem reverſus, toto Imperii tempore nihil habuit antiquius, quam afflictam nutantemque Rempublicam ſtabilire primo, deinde & ornare. Nihil ornamentorum externorum cupide appetivit; ac ne TRIBVNITIAM quidem POTESTATEM & PATRIS PATRIAE appellationem niſi ſero recepit. Et hæc cauſſa eſſe videtur, quod anni tribunitiæ poteſtatis in nummo non fuerunt adſcripti. Suppletur tamen hic defectus per annos *Conſulatus:* ſiquidem nummus cuſus eſt,

Tacitus II. Hiſt. 4. & 74.
Tacitus, c. 79. & 80.
Svetonius c. 7. & 8.
Svetonius, c. 12.
Tacitus Hiſt. V. 12.

Digitized by Google

eſt, cum Veſpaſianus tertio Conſularem dignitatem gereret, id eſt. A. C. 71.

Onuphr. Panvinius in Faſtis. Mediobarb. p. 110. 111. Uſſerius in Opere Chron. ad Chriſti 71.

De conſenſu præſtantiorum Chronologorum anno ſuperiori urbs Hieroſolyma a Tito Veſpaſiani majore filio capta atque ſic Judæa penitus devicta fuit. Hoc ipſo vero A. O. R. 71. *Veſpaſianus & Titus Imperatores, magnificum agentes de Judæis triumphum, urbem ingreſſi ſunt. Pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui a conditione Urbis, usque ad id tempus acti erant, hoc ſpectaculum fuit, patrem & filium uno triumphali curru vectos, glorioſiſſimam ab his, qui patrem & filium offenderant, victoriam reportaſſe. Qui continuo omnibus bellis ac tumultibus domi foriſque compreſſis, PACEM TOTIVS ORBIS pronunciaverunt, & Janum geminum obſeratis cohiberi clauſtris, ſexto demum ipſi poſt Urbem conditam cenſuerunt. Jure enim idem honos ultioni paſſionis Domini impenſus eſt, qui etiam nativitati fuerat attributus*, Verba ſunt *Pauli Oroſii*, L. VII. c. 9. quæ apprime huc faciunt, atque poſticam nummi partem mirifice illuſtrant.

Nimirum PACI ORBIS TERRARVM AVGVSTÆ Veſpaſianus hunc nummum ſacrum eſſe voluit. AVGVSTA PAX dicitur, quod eam Orbi Romano præſtaret VESPASIANVS AVGVSTVS. *Auguſtam Pacem* vocat etiam *Vellejus Paterculus*, L. 1. c. 126. de Auguſti temporibus ſcribens: *Quando Pax lætior? Diffuſa in Orientis Occidentiſque tractus; & quidquid meridiano aut ſeptemtrione finitur, PAX AVGVSTA per omnes TERRARVM ORBIS angulos a latrociniorum metu ſervat immunes.*

Ipſa autem PAX Dea habita eſt ab antiquis, teſtibus

 tot

tot nummis, quibus ejus figuræ vario geſtu atque habitu inſculptæ, ſummatimque exhibitæ ac declaratæ in *Oiſelii* Theſauro Num. p. 385. ſeqq. In noſtro caput Deæ tantum cernitur, integrum ſimulacrum cum Inſcriptione: PACI AVGVSTAE, ſiſtit *Triſtanus* in Nummo ejusdem Veſpaſiani.

Tom. I. Tab. VII.

Singularem hujus Imperatoris cultum erga Deam Pacem arguit etiam *templum Pacis*, quod inter nova opera a Veſpaſiano facta *Svetonius* recenſet c. 9. Et *Colonia Flavia PACENSIS* ab eodem deducta, quo nomine *Deulton* urbs Thraciæ venit in nummo Trajani apud *Jo. Vaillant*, in Num. Colon. p. 214. & *Harduinum* in Num. Ant. Pop. & illuſtr. p. 137.

IV.

DIVVS TITVS AVGVSTVS. Caput Titi laureatum.

JVLIA AVGVSTA DIVI TITI *Filia*. Caput Juliæ.

Tacitus Hiſt. II. c. 1. Svetonius in Tito c. 1. Eutropius L. VII. Sveton. c. 6. c. 11. Victor in Epit. L. VII.

Decor oris cum quadam majeſtate, & quæ in explicatione antecedentis Nummi jam de Tito diſſeruimus, facile oſtendunt, qualis ille fuerit. Vir omnium virtutum genere mirabilis, adeo ut *amor & deliciæ humani generis* diceretur. Patri Veſpaſiano collega & in tribunitia poteſtate, & in ſeptem conſulatibus fuit. Solus vix ultra biennium regnavit, ſed tanta cum gratia, ut eo mortuo quaſi perpetuo cuſtode orbatum terrarum orbem deflerent. *Inter DIVOS relatus eſt*, inquit *Eutropius*. DIVVS eſt ἀποθεωθείς. Nummum igitur poſt Titi Apotheoſin percuſſum eſſe ex DIVI titulo liquet. Hic notari meretur *Plinii* judicium in Paneg. Trajani p. m. 11. *Dicavit cœlo*

Digitized by Google

Domitianus Titum, ut Dei frater videretur. Et p. 31. *Ingenti animo DIVVS TITVS ſecuritati noſtræ ultionique proſpexerat, ideoque Numinibus æquatus eſt.*

JVLIA duplici jure AVGVSTA dicitur: Et a patre DIVO TITO AVGVSTO, cujus ex Marcia altera uxore fuit filia: Et a patruo atque marito *Domitiano Auguſto*, qui ipſam adhuc virginem, devictus *Domitiæ* nuptiis pertinaciſſime recuſavit, non multo poſt alteri collocatam ultro corrupit, vivo adhuc Tito; mox patre ac viro orbatam ardentiſſime palamque dilexit, ut tamen cauſſa mortis etiam exſtiterit.

Svetonius in Tito, c. 4. Idem in Domitiano c.22. Zonaras Annal. T.2. p.196.

Nunc merito conſiderandum venit capitis integumentum, quo JVLIA in nummo eſt ornata. Cincinni & calamiſtrati capilli frontem veſtiunt, qui retrorſum deſcendunt, ſed ita ne aurem operiant. Striæ crinium digitis implexorum tegunt verticem atque cervicem, & his annexus eſt nodus ex capillis itidem contortus, quem Germani einen Zopff appellarent. *Triſtanus* T. I. p. 232. ſimilem nummum deſcribens *galericulum* eſſe arbitratur: dicit enim: *L' effigie de Julia ayant* ſa perruque *agencée comme Stace dit que Pallas & Diane les portoient.*

Utraque torva genis flavoque in vertice nodo.

Non poſſumus non idem affirmare, cum recordamur eorum, quæ ſupra de *Domitiæ* galericulo prolata fuere. Sutilia quippe & textilia capillamenta, quæ Tertullianus vocabat, ſatis manifeſte ſunt conſpicua. Et valde veriſimile eſt, Juliam & Domitiam, quæ uno eodemque tempore vixerunt, æqualibus etiam ornamentis, licet diverſo modo diſpoſitis, uſas fuiſſe.

Porro nummus noſter ex eorum numero eſt, quos *ſubaratos* aut *pelliculatos* vocant, latiusque exponunt *Car.*

Patinus, introd. ad Hiſt. Num. c. VIII. *Jo. Dan. Major*, in Epiſtola de Nummis Græce inſcriptis, p. 4. & *Jo. Chriſt. Wagenſeil*, Diſſ. de re mon. Vet. Rom. cap. X. Intus ſcilicet eſt æreus, foris ſuperinducta lamina argentea, tanto artificio, ut pro elegantiſſimo argenteo haberetur, niſi in limbi aliqua parte ſulcatus, & in facie JVLIÆ ſquama argentea fortaſſis per ætatem detrita ſit, hiatu cupreo relicto. Hoc vero levitas quoque Nummi prodere videtur: etenim vix drachmalis eſt, quamvis magnitudine & exſtantia ſatis ſit conſpicuus. De præſtantia & antiquitate nummorum ſubæratorum fuſe diſſerit laudatus *Wagenſeilius* loco memorato, oſtenditque p. 47. artem illam nequiſſimam valde fuiſſe frequentatam apud Romanos, atque hinc *ad veros argenteos Nummos a Bracteatis* (hoc quoque nomine ille vocat ſubæratos) *dignoſcendos, introductum fuiſſe, ut interdum proborum ambitus, ſerræ alicujus inſtar, aſperaretur: unde & Serratorum nomen, quod apud Tacitum legitur de Moribus Germ. c. 5.*

V.

DIVA AVGVSTA MARCIANA. Caput Marcianæ.

CONSECRATIO. Carpentum a duabus mulabus vectum.

Cum Auguſtarum Nummi omnium conſenſu antiquariorum ſemper cæteris præſtant, & ipſis Imperatoriis rariores ſunt atque cariores, tum hujus Marcianæ numiſmatis præſtantia ex eo redditur excellentior, quod ſororem alicujus Auguſti exhibet; & talem quidem, cujus tenuis mentio in priſcis veterum ſcriptis: pondus autem Drachmæ habet.

Inte-

Digitized by Google

Integram deſcriptionem genealogicam domus MARCIANÆ continet Nummus a *Triſtano* primum vulgatus, & a *Morellio* in Specimine emendatus, in quo nominantur MARCIANA AVGuſta SOROR IMPeratoris TRAIANI: in averſa vero MATIDIA ſedens AVGuſtæ Filia dicitur: & hæc inſuper filiabus hinc inde ſtantibus manus imponit, quæ fuerunt, Sabina uxor Hadriani Imperatoris, & Matidia junior. A Plinio deſcribitur *noſtra* tanquam Trajani æmula, & ejus cum Plotina concordia maxime extollitur: *Soror autem tua*, (ita alloquitur *Plinius* Trajanum in Panegyrico p. m. 77.) *ut ſe ſororem eſſe meminit? ut in illa tua ſimplicitas, tua veritas, tuus candor agnoſcitur? ut ſi quis eam uxori tuæ conferat, dubitare cogatur, utrum ſit efficacius ad recte vivendum, bene inſtitui, aut feliciter naſci. Nihil eſt tam pronum ad ſimultates quàm æmulatio, in fœminis præſertim: ea porro maxime naſcitur ex conjunctione, alitur æqualitate, exardeſcit invidia, cujus finis eſt odium. Quo quidem admirabilius exiſtimandum eſt quòd mulieribus duabus in una domo parique fortuna, nullum certamen, nulla contentio eſt. Suſpiciunt invicem, invicem cedunt: quumque utraque effuſiſſimè diligat, nihil putant ſua intereſſe, utram tu magis ames. Idem utrique propoſitum, idem tenor vitæ, nihilque ex quo ſentias duas eſſe, te enim imitari, te ſubſequi ſtudent. Ideo utraque mores eosdem, quia utraque tuos habet: inde moderatio, inde etiam perpetua ſecuritas. Neque enim unquam periclitabuntur eſſe privatæ, quæ non deſierunt. Obtulerat illis Senatus cognomen AVGVSTARVM, quod certatim deprecatæ ſunt, quamdiu appellationem Patris Patriæ tu recuſaſſes: ſeu quod plus eſſe in eo judicabant, ſi uxor & ſoror tua, quam ſi AVGVSTÆ dicerentur. Sed quæcunque illis*

T. I. p. 338.
p. 31.

ratio

ratio tantam modeſtiam ſvaſit, hoc magis dignæ ſunt, quæ in animis noſtris & ſint & habeantur AVGVSTÆ, quia non vocantur. Quid enim laudabilius fœminis, quàm ſi verum honorem non in ſplendore titulorum ſed in judiciis hominum reponant? magnisque nominibus pares ſe faciant, etiam dum recuſant? Poſtea tamen & Plotinam & Marcianam permiſiſſe, ut AVGVSTAE appellarentur, nummi earum ſuperſtites palam faciunt, ſicut & Trajanus Patris Patriæ nomen tandem aſſumpſit. Marciana igitur his ſuis moribus a Plinio laudatis & amorem Trajani meruit & honores. Meruit ſcilicet, ut Trajanus conditam in Mœſia civitatem ejus nomine *Marcianopolin* nominaret, qua de *Jornandes* lib. de rebus Geticis, cap. 16. Meruit, ut poſt mortem inter DIVAS referretur, multaque Numiſmata argentea & ærea cuderentur, æterna ipſius CONSECRATIONIS monumenta.

Cæterum obſervandus eſt capitis ornatus, diverſus quidem a DOMITIÆ & JVLIÆ hactenus viſis, nec ipſe tamen aſpectu indignus. In fronte MARCIANÆ non ſunt cincinni aut calamiſtrati capilli, ſed eorum loco tres ſeries crinium manibus implexorum aſcendunt, quarum ſemper una alteram longitudine & altitudine ſuperat, nulla vero ultra aurem protenditur: ſuper omnes vitta eminet, anteriora iis, quæ poſteriori capitis parti annexa ſunt, conjungens. A cervice verſus verticem tenduntur capilli, & his impoſitum eſt ſertum oblongum, quod textilibus itidem capillamentis compoſitum videtur. De quibus cum ſupra in explicatione Nummi III. aurei plura collegerimus, nunc de vittis pauca dicemus, quarum paulo ante fecimus mentionem, illud, quod in fronte Marcianæ altiſſime prominet, hoc nomine vocantes.

Vittæ

Vittæ erant ornamenta capitis, quibus mulieres Romanæ capillos colligabant: ita enim *Ovidius* lib. I. Metam.

Vitta coërcebat poſitos ſine lege capillos.

Ad differentiam aliarum vittarum, quibus ſacerdotes, augures, poëtæ, &c. utebantur, has *vittas crinales* appellabant, unde *Virgilius* L. VII. Æn.

——— *matres ubicunque Latinæ*
Solvite crinales vittas ———

Matronæ autem & virgines Romanæ adhibebant illas vittas non ad revinciendos ſolum capillos, ſed præcipue ad pudicitiam indicandam, ut ſatis oſtendit illud *Ovidii* L. I. de Arte amandi:

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris.

Et quia *tenues vittas* vocat Poëta, non abſurdum erit exinde colligere, ſericas fuiſſe faſcias, vel ex alia levi & tenui materia contextas. Quod denique ad externam vittarum formam attinet, eam non aliunde melius perſpicere licet, quam ex ipſis Nummis & imaginibus antiquis, ubi varia vittarum genera deprehendes. Eorum quinque recenſet *Sperlingius* Diſſ. de Nummo Fur. Sab. p. 22. & 23. ante quem nemo ex Nummographis, ut ipſe p. 19. fatetur, iſtam rem tetigit. *Diſcrimen quoque* inquit ille l. c., *in vittis his crinalibus oſtendunt Nummi, nam aliæ longiores apparent, aliæ breviores; Longiores totum caput circumdare conſpiciuntur, ut in nummo Liviæ Medullinæ n. 39. apud Octavium de Strada, & Antoniæ n. 41. & Octaviæ n. 49. & propriè non tam vittæ quàm Suffibula dicebantur, quæ Feſtus deſcribit. Suffibulum, inquit, veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Veſtales, cum ſacrificant, habent, idque fibulâ comprehenditur. — Breviores*

vittæ non niſi frontem cohoneſtant, vel non ulterius videntur progredi, capillis forſitan obtectæ, ut in cæteris nummis Auguſtarum paſſim. Alias vittas crinales ut inverſas ſpectare licet in nummis Plotinæ n. 80. & 81. raro exemplo. Alias Auguſtas duplici vittâ conſpicuas producunt nummi, ut n. 86. Sabinam Hadriani uxorem, cui conſentiunt aliæ quoque apud Triſtanum. --- Occurrit adhuc aliud diſcrimen, ubi loco vittæ in galericulis cornu parvulum ſupra frontem ſe exſerit, quo crines ſuſtinentur, quod genus vittarum non ante Fauſtinam minorem obſervare potui, apud Oct. de Strada. n. 93. ſecutæ ſunt illam hoc exemplo, Julia Domna n. 122. Mæſa n. 141. Julia Mamæa n. 146. Marc. Otacilia Severa n. 168. & aliæ. MARCIANÆ vitta ex brevioribus eſt, quia frontem tantum cohoneſtat, nec ultra aurem progreditur.

Ab averſa Nummi parte CONSECRATIO legitur, cujus etiam index Carpentum a duabus mulabus vectum. *Conſecrationem* dicunt Auctores abſurdiſſimam illam Romanorum ceremoniam, cum non tantum Imperatores mortuos Deorum inſerebant numero, ſed & eorum Uxores, Sorores, Filias, &c. religioſo cultu venerandas ſiſtebant. Catalogum Conſecratorum conſcripſit *Onuphrius Panvinius* Comment. in Faſtos, p. 246. ubi inter *Auguſtas conſecratas* Marcianam quoque numerat, ut jam mittam tot alios nummos a *Spanhemio*, *Patino*, *Jo. Vaillant*, aliiſque vulgatos, quibus ejusdem CONSECRATIO variis ſymbolis exprimitur. Nemo autem facile negabit, huic AVGVSTÆ propter virtutes maxime tributam eſſe divinitatem, ſi recordari voluerit eorum, quæ *Plinius* in Panegyrico de ea pronunciavit, & quod *Cicero virtutes* alicubi appellat *Divas, propter quas datur aſcenſus in cælum.*

Diſſ. VII. p 622.
Theſ. p. 65.
T. 2. p. 66.

Digitized by Google

lum. Eædem virtutes effecerunt, ut Marcianæ imago carpento, quod nummus exhibet, imponeretur, eoque in pompa ſolenni traduceretur.

Talia carpenta quidam pro iisdem habent cum Thenſis inter quos *Pyrrhus Ligorius*, de Vehiculis antiquis cap. V. Sed *Jo. Schefferus* de re vehiculari lib. II. c. XVII. & XXIV. clariſſime oſtendit, nominata vehicula nimis diverſa fuiſſe, atque inter alia diſcrimina hoc adducit, quod thenſæ quatuor habuerint rotas, carpenta duas tantum. Uſus tamen & thenſarum & carpentorum horum fuit, ut in iis ducerentur imagines Deorum Dearumque in pompa Circenſi. De thenſis diſertim *Feſtus: Thenſam ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuviæ Deorum ludicris Circenſibus in circum ad pulvinar vehuntur.* De carpentis res, ut puto, manifeſta erit ex *Svetonii* mox adducendo, & ſequenti *Iſidori* loco: Carpentum pompaticum *vehiculi genus eſt, quaſi carrum pompaticum.* Eum ſecutus *Schefferus*, ut hoc carpenti genus a cæteris, cum quibus nil habet commune, diſtinguat, *carpentum pompaticum* quoque appellat. Scilicet priusquam ſpectaculum Romæ in Circo exhiberetur, inſignis præmitti ſolebat apparatus, in quo Deorum ſtatuæ a Capitolio per forum in Circum maximum ſive curribus vehebantur, ſive portabantur ferculis: Et quia juxta illud *Ovidii:*

L.XX.c.12. *cap. XVII.* *Dionyſ.Halic. L. VII. ſub fin.* *IV. Faſt.*

Circus erat pompa celeber, numeroque Deorum;

hinc tales currus etiam conſecratis tam viris, quam fœminis tribuebantur, ut illorum ſtatuæ hoc modo pompam Circenſem redderent illuſtriorem. Hoc autem peculiare habebant AVGVSTÆ, quod ipſarum imagines veherentur carpentis, cum AVGVSTORVM veherentur thenſis. Hinc *Svetonius* in Caligula: *Inſtituit matri Cir-* *c. 15.*

 cenſes,

cenſes, carpentumque, quo in pompa traduceretur. *Jul. Capitolinus* in Antonino Pio: *Fauſtinam uxorem perdidit, qua a Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus atque templo, & Flamminicis atque ſtatuis aureis atque argenteis, cum etiam ipſe hoc conceſſerit, ut imago ejus cunctis Circenſibus poneretur.* Non dubitandum exiſtimat *Ger. Jo. Voſſius*, de Orig. & Progr. Idol. L. II. c. 10. quin hunc morem vel ab Aſiaticis acceperint Romani, vel Ægyptiis, idque ex *Strabone*, *Euſtathio* &c. colligit, qui ſimulacra Deorum, quos iſtæ gentes coluerunt, in celebritate publica delata fuiſſe teſtantur. De carpentis
T. 1. p. 237. mulierum conſecratarum adhuc notandum, quod *Triſtanus* arbitratur, ea non differre a lecticis illis, quibus animæ *Auguſtarum* poſt mortem vehi putabantur in cœlum, ad contrahendum cum Jove matrimonium. Audiamus verba, quibus ſententiæ ſuæ rationes profert: *Ils eſtimoient que les ames des Empereurs, & Imperatrices qui auoient bien veſcu, ayans quitté l' alliance & union corporelle, alloient contracter un autre mariage dans le Ciel auec Jupiter. Or* Martianus Capella *liure 2. nous apprend que les Deeſſes qui deuoient aller faire ce mariage, eſtoient menées dans le Ciel en lictiere.* Et cum ſonitu infertur lectica interſtincta ſideribus, cui ritu myſtico crepitus præcinebant, qua mos fuerat nubentes Deas in cœleſtis thalami pervenire conſortia, *où il fait voir que ces lictieres eſtoient accompagnées d' aſtres de part & d' autre. Auſſi ie ne doute point que celles-cy que l' on faiſoit voir és pompes Circenſes és deifications, ne fuſſent enrichies d' eſtoiles repreſentées deſſus. Or* Capella *en ſuite de ce que deſſus, pour monſtrer que c' eſtoit veritablement la marque de diuinité que cet éleuement en lictiere dans le Ciel,*

Ciel, il adiouſte & feint, que l' Athanaſie ou Immortalité, qu'il qualifie fille de l' Apotheoſe, c'eſt à dire Deïfication & conſecration, fut portée dans le Ciel en lictiere, en ces termes, Et heus, inquit, virgo, præcepit Deorum pater hac regali lectica in cœli palatia ſubvehàris, quam quidem nulli fas eſt attrectare terrigena. Hæc ſunt, quæ laudatus Antiquarius diſſerit, occaſione Nummi JVLIÆ TITI F. in cujus averſa parte hujus DIVÆ carpentum ſub aſpectum venit.

At cur plerumque mulæ conſecratarum trahunt carpenta? *Patinus* reſpondet: *Suſpicio eſt equos πλεμικὰ ζῶα, ad bella natos, Imperatoribus ſervari. Triſtanus* putat loco memorato, id propterea factum eſſe, quia etiam virgines Veſtales in talibus carpentis vectæ fuerint, adeoque non inconveniens viſum fuiſſe Romanis, ſi illis virginibus, quæ debebant manere ſine maculà aut pollutione, ſervirent etiam hæc animalia pura & non contaminata. Sed *Spanhemius* accuratiſſimam reſponſionem nobis ſuppeditat, Diſſ. VII. p. 614. ſcribens: *Mulare carpentum nemo in nummis id genus mirabitur, qui novit relatum jam olim Mularum uſum ſeu cum Mulabus vehicula, inter ſolita luxus & pompæ muliebris inſtrumenta.* Quam theſin ibi plurium auctorum teſtimoniis confirmat, oſtenditque, traductum eſſe illum morem ex Oriente, ubi albi muli præcipuo loco fuerint habiti. *Theſ. p. 65.*

Figura denique horum carpentorum diverſa in diverſis nummis conſpicitur. Communiorem exhibent JVLIÆ AVGVSTÆ & AGRIPPINÆ apud *Schefferum* l. c. p. 215. quorum carpenta tecto arcuato ſuperne ſunt clauſa. Marcianæ vero carpentum rariorem & elegantiſſimam habuiſſe formam præſens docet Numiſma.

VI.

IMPP. INVICTI. PII. AVGG. *Imperatores Invicti Pii Auguſti.* Capita Severi & Caracallæ, laurea coronatorum.

VICTORIA PARTHICA MAXIMA. Victoria gradiens, dextra tenet lauream, ſiniſtra palmam. Nummus autem eſt drachmalis.

Quinam ſint IMPP. INVICTI. PII. AVGG. facile patebit, ſi conferantur capita hæc laureata cum illis, quæ in nummo quarto aureo videntur. Severi enim & Caracallæ effigies in utroque nummo tam accurate ſunt expreſſæ, ut ovum ovo haud poſſit eſſe ſimilius.

Uterque appellatur IMPERATOR, uterque AVGVSTVS; ſiquidem poſt *victoriam* illam *Parthicam*, cujus in averſa parte fit mentio, Caracalla a Severo in conſortium Imperii fuit aſſumptus, teſte *Herodiano* L. III. c. 10. ubi Baſſianum, *majorem natu ex filiis Severi*, tunc honores Imperatorios adeptum *Severum Antoninum, accepto Marci cognomine, vocatum eſſe* ſcribit. *Spartianus* in Severo c. 16. *Ob hoc etiam, filium ejus Baſſianum Antoninum, qui Cæſar appellatus jam fuerat, annum XIII. agentem* participem Imperii *dixerunt milites.* Ad quæ verba *Caſaubonus* annotat: *Factum hoc eſſe quinto, vel ut alii ſexto Imperii Severi anno: ab eo tempore DVOS numerari cœpiſſe AVGVSTOS, Severum patrem & Antoninum filium.*

Iidem porro INVICTI dicuntur, titulo iis præſertim Imperatoribus uſitato, qui glorioſam victoriam ab hoſtibus reportaverant. Hujus cognomenti jam *Svetonius* in Tiberio c. 17. meminit, Tiberio ob debellatum Illyricum, trium-

Digitized by Google

triumphum, magnoſque honores decretos eſſe narrans, ſtatimque ſubjiciens: *Cenſuerunt etiam quidam, ut Pannonicus, alii ut INVICTVS, nonnulli ut Pius cognominaretur.* Sic quoque apud *Triſtanum* in nummo Alexandri Severi, poſt ejus *victoriam Perſicam* cuſo, cernitur ille Imperator in curru triumphali, cum inſcriptione: INVICTVS AVGVSTVS, quam Triſtanus ita explicat: *Ce magnifique Epithete de INVICTVS ne luy ayant pas eſté mis autour de cette triomphante repreſentation ſans ſuiect de quelque exploict rare & de grande importance qui luy en auroit fait meriter le titre.* Severo hic titulus ſæpe tribuitur in Nummis apud *Mediobarbum* & *Morellium*; nec immerito: quippe *felix ac prudens, armis præcipue: adeo ut nullo congreſſu niſi victor diſceſſerit*, ut *Aurelius Victor* de eo loquitur. In noſtro autem ipſe cum filio hoc cognomen ſuſcepit ob VICTORIAM PARTHICAM MAXIMAM, quoniam Caracalla huic patris expeditioni interfuerat, & jam Imperii conſors erat conſtitutus. *T.2.p.397.* *Specim.p.50* *De Cæſaribus,p.m.551.*

Pariter utrique PII cognomen adſcribitur, ad charitatem mutuam Severi & Caracallæ indicandam. Si eo ſenſu Pietatis vocem accipias, quo reverentiam denotat, quam ſanguine juncti ſibi invicem, maxime vivi mortuis debent, tunc Severus hunc titulum meruit, quando *patri, matri, auo, & uxori priori per ſe ſtatuas collocavit*, referente *Ælio Spartiano* in ejus vita, c. 10. Ex eo vero, quod ipſi idem nomen cum filio eſt commune, colligere licet, in nummo quoque Pietatem ſpectari, quæ erga patriam officium obſervare monet. Plura de hoc Auguſtorum cognomento docent Viri celeberrimi, *Ez. Spanhemius*, Diſſ. VIII. p. 720. & ſeqq. atque *Gisb. Cuperus*, in Expoſitione Inſcript. & Marm. antiquorum Apotheoſi Homeri ſub-

Digitized by Google

ſubjecta, p. 286. ſeqq. eaque occaſione nummis, inſcriptionibus, & auctoribus multam affundunt lucem.

VICTORIAM PARTHICAM MAXIMAM, de qua in averſa Numiſmatis parte Severus & Caracalla gloriantur, omnium copioſiſſime deſcribit *Herodianus*, L. III. c 9. Verba Interpretis adjiciam: *Impoſitus navibus permultis exercitus univerſus, nequaquam quo intenderat, Romanæ appulſus ripæ: ſed undarum impetu Parthorum ad agrum provectus, haud procul Cteſiphonte, qua in urbe ſedes regis eſt. Is tunc pacem agitans, ac nihil ad ſe pertinere Severi pugnas autumans, quas gereret cum Atrenis, otioſus videlicet, nihil expectabat mali. Cæterum Severi exercitus quum ad eas ripas vi fluminis invectus moxque in terram eſſet expoſitus, omnem ilicò depopulari agrum cœpit, abactisque, ut in quæque inciderant, pecoribus, ad veſcendum, vicisque aliquot incenſis, paulatim usque ad Cteſiphontem perrexerunt: qua in civitate magnus Rex Artabanus commorabatur. Igitur imparatos nacti barbaros, cæſis primo quicunque reſtitiſſent, direptaque mox urbe, pueris fœminisque in captivitatem abductis, tantùm ipſo rege cum paucis equitibus elapſo, theſauris illius ornatuque omni & ſuppellectile potiti, victores regrediuntur. Ita Severus, fortuna magis quam conſilio, PARTHICAM VICTORIAM adeptus eſt. Igitur proſpere ſuccedentibus rebus, literas ad ſenatum populumque Rom. de ſe magnificas dedit, ac depictas in tabulis pugnas, victoriasque ſuas expoſuit: nihil non honorum decernente ſenatu, & ſuper his cognomina imponente devictarum gentium.*

Sed hæc Inſcriptionem tantum declarant, nunc ipſum ſimulacrum Victoriæ contemplemur. Eam & a Græcis & a Romanis tanquam Deam cultam fuiſſe conſtat ex anti-

quis-

quiſſimis harum gentium litteris ac monumentis. *Heſiodus* Victoriam dicit filiam Stygis & Pallantis, in Theogonia ita canens: *v. 383. ſeq.*

Στὺξ δ' ἔτεκ' Ὠκεανοῦ θυγάτηρ, Πάλλαντι μιγεῖσα,
Ζῆλον καὶ ΝΙΚΗΝ καλλίσφυρον ἐν μεγάροισι,
Καὶ Κράτος, ἠδὲ Βίην, ἀριδείκετα γείνατο τέκνα,
Τῶν οὐκ ἔστ' ἀπάνευθε Διὸς δόμος, οὐδέ τις ἕδρη,
Οὐδ' ὁδὸς, ὅπῃ μὴ κείνοις θεὸς ἡγεμονεύει.
Ἀλλ' αἰεὶ πὰρ Ζηνὶ βαρυκτύπῳ ἑδριόωνται.

Styx vero peperit Oceani filia Pallanti mixta,
Zelum & NICEN (Victoriam) *pulcbros talos habentem in ædibus,*
Et Robur, atque Vim, præclaros genuit filios,
Quibus non eſt ſeorſim à Jove domus, nec ulla ſedes,
Neque via, qua non illis Deus præit;
Sed ſemper apud Jovem graviter tonantem ſedem habent.

Simulacrum hujus Deæ quomodo formatum fuerit, *Prudentius* L. II. contra Symmachum his verſibus innuit: *verſ. 31.-38.*

Quid miles, propriis diffiſus viribus, optas
Irrita feminea tibimet ſolatia forma?
Nunquam Pinnigeram *Legio ferrata* Puellam
Vidit anhelantum regeret quæ tela virorum.
Vincendi quæris Dominam? ſua dextera cuiq; eſt,
Et Deus omnipotens; non pexô crine Virago,
Nec nudô ſuſpenſa pede ſtrofioque revincta,
Nec tumidas fluitante ſinu inveſtita papillas.

Quod verbis definit Prudentius, id in Nummo evidentiſſime expreſſum cernimus. Nimirum IMPP. INVICTI Severus & Caracalla, vana perſvaſi opinione, ac ſi omnem

H feli-

felicitatem, qua hactenus contra Parthos uſi erant, VICTORIAE debeant, in honorem Deæ imaginem ejus nummo inſculpi curaverunt. Apparet igitur virgo lauro coronata, aliſque ornata, quibus e cœlo devolare putabatur ad eos, quos ſuis ornare ſucceſſibus vellet: hinc *Auſonius* Epigr. I.

Tu quoque ab æthereo prapes Victoria lapſu.

Vel juxta *Pburnutum: Victoria alata fingitur, quod ea negotia, quæ ſubit, quam celerrime procedant, nec ullo modo impediri poſſint.* Dextra protenſa coronam lauream geſtat victorum præmium: ita enim *Ovidius* lib. 2. Triſt. de Victoriâ:

Auſoniumque ducem ſolitis circumvolet alis,
Ponat & in nitida laurea ſerta coma.

Hiſt. Fragm. L. 2. p. m. 151. Huc facit, quod de Metello *Salluſtius* refert: *Ei ſedenti tranſenna demiſſum Victoriæ ſimulachrum cum machinato ſtrepitu tonitruum coronam capiti impoſuiſſe.* *Plinius* p. m. 9. quoque in Paneg. Trajani lauream tanquam Victoriæ inſigne allegat, dum ait: *Allata erat ex Pannonia laurea, id agentibus diis, ut invicti Imperatoris exortum Victoriæ inſigne decoraret.* Siniſtra palmæ ramum tenet, ſive, ut L. III. de Laudibus Stiliconis. *Claudiani* verbis utar, *palma viridi gaudet cuſtos imperii Virgo*, quia palma ſignum erat victoriæ in omnibus certaminibus, teſte *Plutarcho* Sympoſ. L. VIII. quæſt. 4. Quare *Trimatius* vetus poëta (ut citat *A. Gellius* lib. 6. c. 6.) lib. 2. Iliados cecinit:

Dum dat vincenti præpes Victoria palmam.

Graditur autem, tanquam feſtinans, & ut porro AVGVSTI præliis utantur ſecundis effectura.

VII. AN-

VII.

ANTONINVS PIVS AVGVSTVS. Caput Caracallæ laureatum.

LAETITIA TEMPORVM. Navis circa quam quadrigæ & varia animalia. Pondere dimidiam drachmam vix excedit hoc Numiſma, quoniam ex argento non adeo puro eſt conflatum.

Adverſæ areæ inſcriptio non ſatis dilucide oſtendit, a quonam Imperatore ſit cuſum. Enim vero, teſte *Capitolino*, *Pius primus*, *Marcus ſecundus*, *Verus tertius*, *Commodus quartus*, *quintus Caracallus*, *ſextus Geta*, *ſeptimus Diadumenus*, *octavus Heliogabalus*, *ANTONINI fuere*, & in horum omnium nummis (exceptis, juxta *Spanhemium*, L. Vero & Geta) hoc nomen expreſſum legitur, ſæpiſſime PII tantum & AVGVSTI additis cognominibus, ut adeo tot ANTONINI non minimam inducant confuſionem. Huic tamen occurri poſſe ſtatuunt harum rerum periti, ſi obſervetur numerus Tribunitiæ Poteſtatis vel Conſulatus, aut hoc deficiente ad vultum cujusque horum Imperatorum bene attendatur. Cum vero in hoc, quod præ manibus habemus, Numiſmate neque Tribunitiæ Poteſtatis neq; Conſulatus annus ſit appoſitus, & certum ſit, nullum ex Antoninis ejusmodi vultum tuliſſe, quam Caracallam & Heliogabalum, quorum proinde nummi difficillime ab invicem diſtingui poſſunt, noſtrum jam eſt diſpicere, an Heliogabalo, an vero Caracallæ hic noſter tribuendus ſit? Et facilis quidem foret hujus quæſtionis deciſio, ſi univerſaliter verum eſſet, quod dudum obſervarunt Antiquarii, in ſingulis Eliogabali nummis latinis ſydus cerni in ſtellæ modum cum ſex aut ſeptem

In Opilio Macrino. c. 2.

Diſſ. VIII. p. 753.

aut octo radiis, illudque Solem repræſentare, Imperatoris iſtius Numen præcipuum : Verum totam hanc rem
p. 330. evertit *Carolus Patinus* in Num. Impp. ex ære med. ita ſcribens : *Quamvis hac notâ ſignatos prorſus ad Elioga-balum referam, alteri tamen adſcribendos omnino non cenſeo, qui hac nota carent.* Nihiloſecius pro certo habemus, nummum hunc Caracallæ caput exhibere, idque ex ipſa imagine & averſo typo conjicimus. Conferatur quæſo facies in hoc nummo expreſſa cum facie Caracallæ, quam proxime antecedens argenteus repræſentat, deprehendetur ſimilitudo exactiſſima, quamvis, ut verum fatear, ea melius in ipſis nummis, quam in ectypis æri inciſis appareat. Vide ſi placet, quæ de nominibus ANTONINI & PII Caracallæ collatis, in explicatione nummi antecedentis diximus.

Ad averſam vero partem pertinent, quæ *Dio* L. LXXV. per interpretem habet: *Tum edita ſunt varia ſpectacula propter reditum Severi, & decennium principatus ejus*, ac victorias quas reportaverat: *in quibus ſpectaculis apri ſexaginta Plautiani invicem certaverunt, ut erat mandatum: cæſaque ſunt alia permulta beſtiæ, atque inprimis elephas & crocota. Id animal eſt Indicum, ac tum primùm, quod ſciam, Romam advectum eſt. Color ejus eſt leænæ permixtæ cum tigri: figura quodammodo ex cane & vulpe conſtat. Earum* receptaculum *in amphiteatro ædificatum erat* inſtar navis, *ita ut reciperet quadringentas feras, eaſdemque ſimul omnes redderet: qua ex navi ſubitò diſſoluta exilierunt urſi, leænæ, panthera, ſtruthiones, onagri, biſſones: quod genus boum eſt patria & aſpectu barbarum. Itaque ſeptingenta feræ, manſuetaque beſtiæ ſimul concurrere, & poſtea confodi viſæ ſunt. Occiſis enim ſin-*

gulis

gulis diebus centum, pro numero dierum feſtorum, qui ſeptem fuerunt, ſeptingentæ ſunt occiſæ.

Certe talem navem nummus oſtendit, & varia circa eam animalia, quaſi hæc navi ſoluta exiliiſſent. Et licet *Dio* hæc ſpectacula tantum in honorem Severi edita fuiſſe ſcribat, bene tamen Caracalla eundem ſibi quoque tribuere potuit, utpote qui jam una cum Patre Imperium adminiſtrabat. Hæc enim acta ſunt, poſtquam Severus decennium principatus ſui attigit, ut ipſe *Dio* teſtatur, & Caracalla ſtatim poſt VICTORIAM PARTHICAM MAXIMAM Auguſtus renuntiatus fuit, quod quinto vel ſexto Imperii Severi anno accidiſſe Inſcriptiones oſtendunt. Quis igitur inficiabitur, ab eo tempore Caracallam honores quoque cum Patre communes habuiſſe? Inſigne exemplum nobis ſuppeditat nummus proxime antecedens, in quo non tantum iidem tituli utrique tribuuntur, ſed & Victoria Parthica maxima Caracallæ æque ac Severo adſcribitur. Cum autem inter cauſas ſpectaculorum etiam victoriæ Severi numerentur, & earum non minima fuerit Parthica maxima, cujus Caracalla in nummo allegato particeps factus eſt, inde ſponte ſequitur, etiam ſpectacula, propter victoriam illam edita, ad Caracallam pertinuiſſe. Accedit, quod, teſte *Dione*, *eodem anno celebratæ ſunt nuptiæ Antonini filii Severi* (alias Caracalla dicti), *& Plautillæ Plautiani filiæ*, quæ omnino LAETITIAM TEMPORVM maximopere augebant. Sic igitur Severus in nummo, eandem in averſa parte inſcriptionem eosdemque typos exhibente, apud *Mediobarbum* & *Joh. Vaillant*, ſuam in edendis iſtis ſpectaculis auctoritatem memoriæ prodidit, & Caracalla in hoc noſtro nummo manifeſtare voluit, ſe t. t. eadem, qua pater, pol-

p. 275.
T. 2, p. 107.

polluiſſe auctoritate, & quæ in hujus honorem facta ſint, ſibi quoque non minorem gloriam attuliſſe.

Quadrigæ vero circa navem in nummo apparentes monent, præter illas amphitheatricas voluptates per feras inſolitas conceptas etiam in Circo ludos a Severo & Caracalla celebratos, iisque LAETITIAM TEMPORVM ſplendidiorem fuiſſe redditam. Nam teſte *Dionyſio Halicarn.* in ludis Circenſibus *primus erat quadrigarum, bigarum, ſingulariumque equorum curſus, ſicut olim in Olympia.* De hiſce ludis veterum equeſtribus multa congesſit lectu digniſſima *Ulyſſes Aldrovandus* de Quadrupedibus ſolidipedibus cap. I. quem conſulas.

L. VII.

p. m. 121.

Quatuor quadrigæ in nummo ſunt expreſſæ pro numero factionum in quas diſtinguebantur quadrigarum agitatores, ita ut ſingulæ factiones certo colore gauderent. De his *M. Aurel. Caſſiodor.* lib. 3. variar. Epiſt. 51. *Colores in vicem temporum quadrifaria diviſione funduntur, praſinus virenti verno, venetus nubilæ hyemi, roſeus æſtati flammeæ, albus pruinoſo autumno dicatus eſt, ut quaſi per duodecim ſigna digrediens, annus integer ſignaretur, ſic factum, ut Naturæ myſteria ſpectaculorum compoſita imaginatione luderentur.* Vid. *Roſini* Antiq. Rom. L. V. c. 5. & quæ addidit ibid. *Dempſterus* p. 708. 709. De venatione ferarum in Amphitheatris idem *Roſinus* c. IV. p. 694. & *Spanhemius* Diſſ. III. p. 147. 148.

SELE-

SELECTA NVMISMATA ÆREA MAXIMI MODVLI.

NUmiſmatum maximi moduli nomine ea intelligo, quæ Italis *Medaglioni*, Gallis *Medaillons* audiunt, horumq; imitatione Latine a quibusdam *Metalliones* vocantur. *Carolus Patinus*, in Introduct. ad Hiſt. Num. cap. XIX. & in Theſ. Num. cap. V. *Joſephus Monterchius*, in Præfatione, quam Commentariis ſuis in Selecta Numiſmata maximi moduli ex Biblioth. Cardin. Carpegnæ præmiſit, atque *Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius* Diſſ. de re Monetali Vet. Rom. Cap. VIII. pretium & nobilitatem, quæ in hac Numiſmatum ſpecie cumprimis eminent, pluribus explicant, omnesque uno quaſi ore aſſerunt, Numiſmata maximi moduli non modo propter craſſitiem & molem metalli, ſed etiam propter exſtantiam & elegantiam figurarum principem inter res antiquas locum mereri. Quin imo ipſa quoque raritas hujus generis nummos ſummopere commendat, quæ tanta eſt, ut non niſi in inſtructiſſimis Nummophylaciis reperiantur. Cauſſam non ineptam præbet vulgata illa opinio, maximi moduli Numiſmata non veniſſe in monetarum uſum, ſed eum duntaxat in finem fuiſſe percuſſa, ut rerum ab Imperatoribus geſtarum memoria per ea conſervaretur, & ad poſteros propagaretur. Cui ſuffragatur ratio raritatis a *Jo. Smetio* in ſuis Antiquitatibus p. 170. ex Gaſſendo adducta: *Apud Petrum Gaſſendum legimus in vita Nic. Fab. de Peireſcio, Pariſ.* CIↃ IↃC XLI. *Venceslaus Cobergerus Pictor Bruxellæ de architectura, pictura, Deorum imaginibus, &*

nu-

numiſmatis (opus quadripartitum) cenſuit Medalias ſeu Metallica anea a Julio ad Gallienum monetales non fuiſſe, quod forma, qua ferirentur, ſignarenturve, ante duos menſes elaborari non poſſit, nec plures ducentis eodem typo percuti. Interim nemo Metalliorum numerum hucusque definivit: nam illi, quos *Æneas Vicus* recenſet, minime ſufficiunt, ſiquidem *Andr. Morellius* in Specim. rei Num. Antiquæ p. 17. *ultra mille maximi moduli nummos* promittit in opere ſuo æri incidendos, ubi ſimul docet, ſe *ex ſolo Theſauro Regio Pariſienſi ad quadringentos* deprompſiſſe; & *Monterchius* teſtatur, *in Regina Chriſtina Cimeliarchio ducenta triginta quinque maximi moduli numiſmata* fuiſſe. Ex duodecim iſtis nummis, quos hic in duabus Tabulis exhibemus, nullum reperies in ſerie ab Æn. Vico conſcripta, imo ſunt quidam inter noſtros plane nondum vulgati, quos ſuo quoque loco indicabimus. Tres autem *Contourniatos* illis adnumeramus, non quaſi hos eosdem cum Metallionibus faciamus, ſed quia rariſſimi iſti nummi craſſitie & magnitudine ſua ad Numiſmata maximi moduli proxime accedunt.

I.

NERO. CLAVDIVS. CAESAR AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Nero Claudius Caſar Auguſtus Germanicus, Pontifex Maximus, Tribunitia Poteſtate Imperator Pater Patriæ.* Caput Neronis laurea redimitum.

PROFECTIO AVGUSTI. Imperator eques paludatus & dextra haſtam ferens, præeunte & ſubſequente milite.

Svetonius in Nerone c. 26. Nero petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem, non exercuit modo, ſed & ipſo vultu prætulit.

tulit. Hunc in nummis hodienum contemplamur, & in hoc noſtro quidem magnitudine ſatis conſpicua expreſſum. Cervicem quoque habet obeſam, & comam in gradus compoſitam, ut exactiſſime conveniat cum *Svetonii* deſcriptione: *Circa cultum habitumque adeo pudendus fuit, ut comam ſemper in gradus formatam* in peregrinatione Achaica (in cujus memoriam hic nummus cuſus eſt, ceu infra patebit) *etiam pone verticem, ſummiſerit.* Impia & truculenta ejus facta *Tacitus, Svetonius, Dio,* aliique deſcribunt. c. 51.

De titulis Neronis multa diſſerere ſupervacaneum foret, plerorumque enim conſiderationem eo inſtituimus loco, quo primum occurrebant. CLAVDII cognomen hæreditario jure poſſidet, utpote a Claudio Cæſare adoptatus, quo mortuo ſtatim IMPERATOR conſalutatus, immenſisque cumulatus eſt honoribus, qui omnia principum inſignia, magnumque GERMANICI nomen ipſi peperere. *Svetonius c.6. & 8. Tacitus A. 12. c. 69.*

Nunc de altera nummi parte, quæ inſcriptione & typo PROFECTIONEM AVGVSTI exhibet. Scilicet NERO, cui alias *æternitatis perpetuæque famæ erat cupido*, hunc nummum, inſignem ſane, ac nulli, meo quidem judicio elegantia aut cælatura poſthabendum, cudi curavit in memoriam expeditionis ſuæ Achaicæ, qua de *Svetonius* in ejus vita, c. 19. *PEREGRINATIONES duas omnino ſuſcepit, Alexandrinam & Achaicam: ſed Alexandrina ipſo profectionis die deſtitit, turbatus religione ſimul ac periculo.* His ſuffragatur *Dio* L. 63. ejusque Epitomator *Xiphilinus* in Nerone p. 187. cujus verba ex interpretatione *Guilielmi Blanci* hæc ſunt: *Nero nec adverſus Vologæſum, nec contra Æthiopas, & Pylas Caſpias, ut cogitabat, naviga-* *Sveton. c. 55.*

vit: ſed miſſis utroque exploratoribus, in Græciam tranſiit, *non ut majores ejus fecerant, Flamininus, Mummius, Agrippa, Auguſtus, ſed ut currus agitaret, cithara caneret, præconis officio fungeretur, & tragœdias ageret. Non enim Romæ ei ſufficiebat, non theatrum Pompeji, non circus maximus, ſed EXPEDITIONE (ἐκστρατείας τινὸς) opus fuit, ut fieret, ſicuti dicebat, περιοδονίκης, tantamque ſecum multitudinem adduxit, non ſolum Auguſtalium, ſed etiam aliorum hominum, quanta ſi bellicus exercitus fuiſſet, aut Parthos aliasve gentes cepiſſet. Sed illi erant videlicet Neroniani milites, proque armis ferebant citharas, plectra, perſonas, ſoccos. Itaque reportavit victoriam dignam tali exercitu, Terpnumque & Diodorum, & Pammenem, pro Philippo, Perſeo, Antiocho, ſuperavit.* Mirum autem cuidam videri poterat, cur Nero in nummo militari habitu appareat, comitatus militibus, qui galeis clypeisque inſtructi ſunt, cum tamen Dio, & ex eo Xiphilinus dicat, milites Neronianos in illo itinere pro armis citharas, plectra, & ſimilia tuliſſe? Sed nos diligentius ad ipſa Dionis & Xi-
c. 19. philini verba attendamus, jungamusq; illud, quod *Svetonius* ſcribit: *In Achaja Iſthmum perfodere aggreſſus* (Nero), *prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus eſt: tubaque ſigno dato, primus raſtello humum effodit, & corbulæ congeſtam humeris extulit.* Sic & *Lucianus* in Dialogo, quem *Nero* inſcripſit, ſeu de foſſione Iſthmi, expreſſe quoque τῆς στρατιᾶς h. e. exercitus mentionem facit, dum ait: Οἱ μὲν δὴ ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου, τὰ πετρώδη καὶ δύσεργα ἐξεπόνουν, ἡ στρατιὰ δὲ τὰ γεώδη τε καὶ ἐπίπεδα. *Illi igitur qui in vinculis fuerant, petricioſis atque difficilibus conficiendis exercebantur:* exercitus *autem ea, quæ terrea ac plana erant, fodiebat.* Ex his omnibus conjectu-

jectura naſcitur, Neronem Roma exeuntem vel totum comitatum ſuum ita ordinaſſe, quaſi ad bellum proficiſceretur, cumque in Græciam veniſſet, & ab opere iſto, cujus Svetonius meminit, abſtinuiſſet, habitum atque arma militum mutaſſe; (quod maxime illud Dionis probat, ubi Neronem cogitaſſe adverſus Vologæſum & Æthiopes navigare ſcribit;) vel prætorianos ſaltem milites in iſto itinere armatos inceſſiſſe, Neronemque veſtibus itidem militaribus indutum urbeque exeuntem comitatos. Inſidet itaque Nero equo generoſo, armatus lorica & haſta, humeros tegit paludamentum, in ectypo quidem non expreſſum, in ipſo tamen nummo conſpicuum.

Paludamentum *Nonnio* eſt *veſtis, quæ nunc chlamys dicitur:* Chlamys autem *Iſidoro* eſt, *quæ una parte induitur, neque conſuitur, ſed fibula infrenatur.* Paludamentum itaque ſive chlamys fuit veſtis exterior, in humero plerumque dextro fibula juncta; (vide in N. III. æreo effigiem *Commodi*) ita ut lævam tantum corporis partem amiciret, *Statiusque* diceret *euntem tergo demiſſam Chlamydem.* Hinc in Nummo noſtro fibula in dextro Neronis humero, & ea chlamydis ſive paludamenti pars apparet, quæ ſupra pectus & ſiniſtrum ejus brachium extenditur, quod ſignificat *Corrippus*, de laudibus Juſtini Aug. min. L. II. verſ. 118. 119. 120.

Cæſareos humeros ardenti murice texit
Circumfuſa chlamys, rutilo quæ ornata metallo
Principis exerta vincebat lumina dextra.

Quemadmodum vero equo ad curſum incitato chlamys poſt tergum velut in aëre volitaverit, ex Galbæ nummo inter ſelecta Numiſmata argentea ſecundum locum occupante liquet. Confer de eadem veſte *Gisb. Cuperum* in

Apoth. Homeri p. 157. ſeqq. Quæ hactenus attulimus, ſpecialem vocis *paludamenti* ſignificationem arguunt, qua cum chlamyde coincidit: ſed generaliorem affert *Feſtus*, dum *omnia militaria ornamenta paludamenta dici* ait: & *Varro* lib. de ling. Lat. *Paludata a Paludamentis: ſunt inſignia & ornamenta militaria.* Ideo quando auctores mentionem faciunt profectionis Imperatorum ad bellum, plerumque ſcribunt, *paludatos*, i. e. paludamento, lorica, aliisque militaribus ornamentis indutos abiiſſe. Vid. *Svetonius* in Galba, c. XI. *J. Capitolinus* in M. Aurelio c. XIV. aliique, & de antiquis Reip. Romanæ temporibus *Livius* lib. 31. & 42.

Illud demum addere liceat, nummum hunc, quod ſciam, nondum vulgatum eſſe, nullamque illius mentionem in ſcriptis rem nummariam illuſtrantibus me reperiſſe, adeoque eum non tantum a magnitudine, ſed & a raritate commendari. Interim egregiam ipſi lucem præbent, ac viciſſim mutuantur earum urbium nummi, quæ ADVENTVM Neronis ad æternam rei memoriam in his monumentis ſignarunt: ita *CORINTHVS* apud *Patinum* in Num. Impp. ex ære med. p. 116. & *Jo. Foy-Vaillant* in Num Colon. p. 174. nec non *COLONIA PATRENSIS* apud eundem, p. 177. 178. 179. item apud *Morellium* in Specim. Tab. VII. p. 53. *ADVentum* iſtius *AVGuſti* ad ſuas urbes celebrant.

Materiam hujus Numiſmatis ſcias metallum flavum eſſe, quod æri Corinthiaco non abſimile videtur; pondere enim quartam fere libræ partem exæquat, ex quo non exigua auri admixti naſcitur ſuſpicio.

II.

AT. KAI. M. ATPH. KOMOΔOC. *Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρ-*

Μάρκος Αὐρήλιος Κόμοδος. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Commodus.* Caput Commodi laureatum.

ΕΠΙ. CΤΡ. -- -- ΟΤ. ΚΟΙΝΟΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Ν ΕΦΕCΙ. Ἐπὶ Στρατηγοῦ -- -- ου Κοινὸν περγαμηνῶν καὶ Ἐφεσίων. *Sub Prætore -- -- Commune Pergamenorum & Epheſiorum.* Æſculapius dextra baculum tenens, cui intortus eſt ſerpens, ſiniſtra victoriolam, & Diana polymammia fulcris innixa, cum calatho in capite. Nummus autem ex orichalco eſt conflatus, pondere unius & dimidiæ unciæ.

Græca Epigraphe circa caput Commodi hos ipſos titulos continet, qui in Latinis Numiſmatibus ipſi tribuuntur. Αὐτοκράτωρ, Καῖσαρ idem ſonant ac *Imperator Cæſar.* Μάρκος Αὐρήλιος ſ. *Marcus Aurelius* dicitur a Patre Marco Aurelio, cui in Imperio ſucceſſit. *Oroſius* acta ejus publica & privata admodum concinne tribus verbis eloquitur: *Commodus cunctis incommodus: Herodianus* vero L.1. Hiſtoriarum, *Ælius Lampridius*, & *Xiphilinus* ex Dione in vita Commodi uberius omnia proſequuntur. Pergameni interea atque Epheſii Commodi imaginem hoc in nummo ſignarunt, ut ſibi gratiam atque benevolentiam illius Imperatoris conciliarent, eumque de mutua ſuarum Urbium Concordia redderent certiorem, id quod averſæ partis inſcriptio innuere videtur.

Capitolinus in vita M. Ant. Phil. c. 4. Lampridius in Commodo c. 1. L. VII. c. 10.

Vocabulum ΕΠΙ, quod primum in ea occupat locum, Magni *Spanhemii* judicio, non in nummis ſolum aliisque monumentis antiquis, ſed apud Auctores etiam paſſim, *tempus regiminis ſeu Rectorum loci, ſub quibus res acta eſt, tantum denotat.*

Epiſt. ad Beg.

CΤΡΑΤΗΓΟC vi vocis eſt dux exercitus, ſed in Græcis Imperatorum Nummis ii plerumque ita appellantur qui non ſolùm militari, ſed omni rei Romanæ in pro-

vinciis & urbibus præerant. Nec diſſentiunt Gloſſæ antiquæ, quibus Στρατηγὸς, & *Magiſtratus*, *Duumvir*, *Prætor*, idem ſignificant: Nec *Modeſtinus* JCtus, qui lib. XXVII. Dig. tit. I. De Excuſationibus, leg. XV. hoc in ſenſu quoque illud vocabulum affert: Ἐὰν ὁ τῆς πόλεως ἄρχων, τουτέστιν ὁ Στρατηγὸς &c. *Si Magiſtratus Urbis, hoc eſt*, Στρατηγὸς &c.

Prætoris nomen exeſum eſt, nihilque relictum præter Diphthongum finalem ΟΥ, imo raritas nummi a nemine Antiquariorum mihi viſorum producti, reliquas nominis litteras ſupplere prohibet, niſi forte cum Patino & Monterchio *Publium Lipium*, vel cum Harduino *Quintilianum* ex ſimilibus Commodi nummis commodiori mox loco allegandis intellexeris, de quo cum nemine pugnabimus. Cæterum *Triſtanus* T. 2. p. 595. ſeqq. ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ officium ac dignitatem fuſius declarat; *Harduinus* autem in Nummis pop. & urb. illuſtr. p. 22. notat, *ante Antonini Pii tempora* Στρατηγοῦ *nomen in nummis vix ſemel occurrere, quod ab illius principatu paſſim offendas.*

Porro in Nummo legitur: ΚΟΙΝΟΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΝΕΦΕCΙ: ubi ſtatim notanda ſculptoris ἀβλεψία, qui male ante ΕΦΕCΙ. litteram Ν pro Κ. poſuit; legendum enim fuiſſet ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ Κ. ΕΦΕCΙ, eo modo, quo in alio p. 97. maximi moduli numiſmate apud *Patinum* in Theſ. legitur ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ Κ. CΜΥΡ. cum & in aliis nummis ſæpe Κ. pro ΚΑΙ compendii cauſſa ſcribatur. Non tamen deſunt exempla, in quibus circa litteras ſculptores antiqui erarunt, & quædam eorum collegit *Sperlingius*, in Diſſert. ſæpius citata, p. 30. Nunc de Pergamenis atque Epheſiis.

Per-

Digitized by Google

Pergamo, Aſiæ civitati, filius Pyrrhi natu minimus, hoc nomen impoſuiſſe dicitur *Pauſaniæ* in Atticis: Πέργαμος δὲ διαβὰς ἐς τὴν Ἀσίαν Ἄρειον δυναστεύοντα ἐν τῇ Τευθρανίᾳ κτείνει, μονομαχήσαντά οἱ περὶ τῆς ἀρχῆς· καὶ τῇ πόλει τὸ ὄνομα ἔδωκε τὸ νῦν ἀπ᾽ αὐτοῦ. *Pergamus cum in Aſiam trajeciſſet, Arium in Teutbrania dominantem, ſingulari de imperio certamine dimicans, occidit: & urbi a ſe nomen dedit, quod nunc babet.* *Plinio* audit *longe clariſſimum Aſiæ Pergamum*, & *Strabone* teſte Attalicorum Regum ſedes fuit, quorum ultimus Attalus ſine liberis decedens, Romanos reliquit regni hæredes, qui id in Provinciæ formam redegerunt. Ejus cives Pergameni appellabantur, hinc *Stephanus* de Urbibus: Πέργαμος πόλις Ἀσίας. ὁ πολίτης, Περγαμηνός. *Pergamus, urbs Aſiæ, Civis, Pergamenus.* p.19. L.V.C.30. L.XIII.

De Epheſo idem *Stephanus*: Ἔφεσος, πόλις Ἰωνίας ἐπιφανεστάτη. τὸ ἐθνικὸν ἐφέσιος. *Epbeſus, urbs Ioniæ celeberrima. Gentile Epheſius.* *Plinius* Epheſum vocat Amazonum opus, & *Pauſanias* in Achaicis urbem illam ab Epheſo nomen accepiſſe ſcribit, quem *Cayſtri fluminis filium fuiſſe* fabulantur. Poſtmodum Epheſii etiam in Romanorum venerunt poteſtatem, & more illorum temporum conſveto nummis procuſis Imperium, cui ſubditi erant, ſunt venerati. L.V.c.29. p.206.

Sed hoc Numiſma, de quo nobis ſermo eſt, ΚΟΙΝΟΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ, *Commune quoddam Pergamenorum & Epheſiorum commemorat, quod* ὁ Πάνυ *Spanbemius* ita explicat: Nummum percuſſum eſſe *in ſignum Concordiæ*, a Pergamenis atque Epheſiis renovatæ, *publico communitatis earundem urbium decreto;* Diſſert. IX. p.794. ubi mentionem facit *Nummi Medicei*, qui Commodi

Digitized by Google

modi imaginem præferat, & in averſa hanc inſcriptionem: ΚΟΙΝΟΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕϹΙ. Antiquum id erat vitium Græcorum & populorum ab iis profectorum, contentiones inter ſe & diſcordias agitare, ex quo captivi prius Macedonum, dein mancipia Romanorum facti ſunt. Ea vero labes æmulationis atque invidiæ florentibus etiamnum ſub Romanorum Imperio civitatibus Græciæ & minoris Aſiæ incubuit, ac in his maxime Pergamenis atque Epheſiis, quippe qui de jure Metropoleos, Primatu Gentis, Templorum, ſacrorum, aliiſque id genus prærogativis ſæpenumero certarunt. Evolvantur *Dionis Chryſoſtomi* & *Ariſtidis* Orationes, in quibus ſingulari facultate iſtas aliaſque urbes ad concordiam cohortantur. Et quidem Concordiæ ſub variis Imperatoribus ab illis initæ luculentiſſimum teſtimonium præbent nummi Auguſti & Commodi, inſcripti: ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕϹΙΩΝ
p. 792. ΟΜΟΝΟΙΑ, *Pergamenorum & Epheſiorum Concordia*,
p. 392. apud *Spanhemium*, & *Harduinum*; nec non ejusdem Com-
p. 68. modi nummus apud *Patinum*, in Num. Mauroceni, &
p. 38. *Monterchium*, in Num. Max. Mod. Card. Carpegnæ, in cujus altera parte duo ſtant viri, quorum unus Æſculapium dextra tenet, alter Dianam Epheſiam, cum inſcr. ΕΠΙ ϹΤΡατηγȣ Πȣϐλίȣ ΛΙΠΙΟΥ ΚΟΙΝΟΝ ΟΜΟνοια ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕϹΙΩΝ, *ſub Prætore Publio Lipio Communitas, Concordia Pergamenorum & Epheſiorum*: h. e. (juxta Monterchium) *Communitas Pergami & Epheſi Concordiæ cauſſâ*: Sed quod obiter addo, *Harduinus* l. c. legendum putat: ΕΠΙ. ϹΤΡΑΤΗΓΟΥ. ΚΟΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΑΙ. ΕΦΕϹΙΩΝ. *Sub Prætore Quintiliano Pergamenorum & Epheſiorum*, *ſubintelligendum* tamen, *Concordia*. Licet autem in nummo noſtro vocabu-

lum

lum ΟΜΟΝΟΙΑ ſ. *Concordia* non ſit expreſſum, quiſque tamen facile mihi concedet, Pergamenos atque Epheſios nihil vere ΚΟΙΝΟΝ ſ. *Commune* potuiſſe appellare, niſi depoſitis odiis ac ſimultatibus Concordiam prius inter ſe ſanciverint. Adducunt igitur Deos ſuos, ut teſtes ſint fœderis, & conjunctionem ſuarum Urbium tueantur.

Æſculapius, Medicæ artis inventor, ſeu potius ampliator, Pergamenorum numen erat præcipuum, quare in nummis ſuis plerumque ejusdem imaginem exprimebant. Hujus cultus occaſionem ipſe Æſculapius dediſſe videtur, ſi *Ariſtidi* fides, qui duas deductas in eam Urbem colonias ſcribit, primam ex Arcadia a Telepho, ſecundam & nobiliſſimam ab Æſculapio. Verba ejus ſunt: Καὶ γίγνεται πῶς μὲν χρόνοις αὕτη δευτέρα τις ἀποικία δεῦρο ἐκ τῆς Ἑλλάδος μετὰ τὴν ἐξ Ἀρκαδίας τὴν ἅμα Τηλέφῳ, τῇ δὲ ἀξίᾳ καὶ τῇ δυνάμει πολὺ πρεσβυτάτη πασῶν ἀποικιῶν. *Et quanquam temporis ratione ſecunda hæc eſt Colonia* (ab Æſculapio Pergamum) *e Græcia poſt illam deducta, quam ex Arcadia Telephus cum ſuis deduxit, dignitate tamen & potentia omnium eſt antiquiſſima.* Haud mirum itaque, quod Pergameni conſueta illorum temporum ſuperſtitione Æſculapium tanquam Deum, & quidem gentis alterum conditorem, coluerunt. Sed *Pauſanias* in Corinthiacis p. 69. Epidauria cultum Æſculapii Pergamum traductum fuiſſe ait: Τοῦτο δὲ Ἀρχίας ὁ Ἀριστοίχμου τὸ συμβὰν σπάσμα θηρεύοντι οἱ περὶ τὸν Πίνδασον ἰαθεὶς ἐν τῇ Ἐπιδαυρίᾳ, τὸν θεὸν (Ἀσκληπιὸν) ἐπηγάγετο ἐς Πέργαμον. *Archias Ariſtæchmi filius a convulſione membrorum, qua inter venandum apud Pindaſum correptus fuerat, in Epidauria ſanatus, inde Dei* (Æſculapii) *religionem Pergamum traduxit.* Utut eſt, Æſculapius certe tanta religione Pergami cultus fuit, ut

Tom. II. Orat. de Concord. p. 304.

ut licet multæ aliæ gentes eum tanquam Numen adoraverint, tamen proprio quodam nomine *Pergameus Deus* vocetur *Martiali* L. 9. Epigram. 17. Ejus imago deſcribitur, ut in nummo, apud *Albricum* de Deorum imaginibus: *Æſculapius Deus Medicinæ putatur, cum barba valde prolixa, indutus habitu Medici, cujus manus baculum cum ſerpente geſtabat intorto.* Meminit *Pauſanias* in Corinthiacis ſi-
p. m. 48. gni Æſculapiani, cujus *ſola ſe facies, manus, & imi pedes oſtenderint; partes vero cætera tunica alba & pallio fuerint velata;* ſed in nummis plerumq; pectore etiam & dextro humero nudus pingitur. Illud vero in noſtro peculiare habet, quod manu ſiniſtra *Victoriolam* geſtat, quæ ſiniſtra itidem auream tenet coronam. Ne tamen abſque ratione id factum credas, tenendum, antiquos Θεὺς νικηφόρυς ſ. Deos victoriam ferentes poſuiſſe, quando res ex animi ſententia procedebant. Sic cum *Danaus Hypermeneſtram in judicium vocaſſet, eo crimine, quod una ex omni filiarum numero patris imperata facere neglexiſſet, & illa Argivorum ſententia abſoluta eſſet, in ejus judicii memoriam* Ἀφροδίτην νικηφόρον, Venerem victoriam præferentem *dedicavit*, quod
p. 61. *Pauſanias* in Corinth. memoriæ prodidit. Planius in noſtram rem Patrenſes in nummo Commodi, apud *Jo. Vail-*
Num. Col. *lant*, *Jovem Victoriam geſtantem* exhibuerunt, quaſi
p. 310. Commodus eam Jovis ope reportaſſet, cum prælium ab ejus Legatis feliciter committeretur. In noſtro autem Æſculapius, Deus Medicus, victoriam gerit, ſine dubio inſigne quoddam Medicorum tum florentium factum indicans, quod Pergameni iſti Deo ſuo adſcribunt. Ipſe *Galenus*, Pergamenus Medicus clariſſimus, tale quid palam facere videtur; ait enim Lib. de Præcog. ad Poſthumum: *Commodum a ſe curatum eſſe dum faucium tumore vexaretur.*

Digitized by Google

retur. Aut fortaſſis prudentia Medicorum Romanorum conſilia huc erunt referenda, quibus & Commodus ipſe ſervatus eſt, cum ingens peſtis Romæ ſæviret, & remedia quædam illis præſcripta, qui t. t. in ea Urbe degebant, quæ apud *Herodianum* L. 1. c. 12. enarrata reperies. Quamcunque cauſſam elegeris, utrobique Pergameni habebant, de quo glorientur, a ſuo Æſculapio hæc bona profecta eſſe, cui proinde Victoria tribuenda. Cur ſerpentem baculo intortum dextra teneat, *Hyginus* docet Poët. Aſtron. lib. II. *Æſculapius hac de cauſa anguem tenere dicitur, quod cum Glaucum cogeretur ſanare, concluſus quodam loco ſecreto, bacillum tenens manu, cum quid ageret cogitaret, dicitur anguis ad bacillum ejus adrepſiſſe; quem Æſculapius mente commotus interfecit bacillo, fugientem feriens ſæpius. Poſtea fertur alter angvis eodem veniſſe, ore ferens herbam, & in caput ejus impoſuiſſe; quo facto, loco fugiſſe. quare Æſculapium uſum eadem herba, & Glaucum revixiſſe. Itaque anguis & in Æſculapii tutela, & in aſtris dicitur collocatus. Feſtus Pompejus* lib. 9. ideo *draconem* Æſculapii *tutelæ eſſe* exiſtimat, *quod vigilantiſſimum ſit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxime apta eſt: bacillum vero, quem habet, nodoſum difficultatem artis ſignificare.* Alii alias adducunt rationes. Audiamus *Plinium*, L. XXIX. c. 4. *Quin & angui ineſſe remedia multa creduntur, & ideo Æſculapio dicatur.* Add. *Macrobius* L. 1. Saturnal. c. 20. Nec ſpernenda *Patini* obſervatio in Num. ex ære medio: *Quamvis fabulatrix ars poëtica hæc invenerit, ſuſpicio tamen eſt, & Græcos & Ægyptios id didiciſſe ab Hebræis, neque enim ſacras litteras ignorabant, & in his legerant inſida & ſeditioſa Hebræorum genti plagas à Deo O. M. inflictas fuiſſe, ſeditionis ulciſcendæ cauſa, cujus reme-* *p. 224. 225.*

 dium

Numer. c. 21 *dium his verbis diVinus Æſculapius Moyſi præſcripſit: Fac ſerpentem & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, viVet; Fecit ergo Moyſes ſerpentem aneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.*

Epheſii, quam perpetuo ſibi vindicabant Dianam, etiam hoc in nummo ſignarunt; nec fortaſſis injucundum erit effigiem Μεγάλης τῆς Ἀρτέμιδος Ἐφεσίων, *magnæ Dianæ*
c. XX. 28. *Epheſiorum*, cujus in *Apoſtolorum Actis* fit mentio, ea forma expreſſam cernere, qua in celebri illo Epheſino templo colebatur. Mammæ, quibus tegitur *Multimammia* cognomen ipſi peperere, ut eſt apud D. *Hieronymum* in Epiſt. ad Epheſ. *Erat Epheſi templum Dianæ, & ejusdem in ipſo* Multimammia, *id eſt, multarum mammarum effigies; qua cultores ejus decepti, putabant eam omnium Viven-*
p. m. 105. *tium nutricem.* Et ante eum *Minutius Felix* in Octavio hujus Deæ meminerat verbis ſequentibus: *Diana Epheſia mammis multis & uberibus exſtructa.* Circa quem locum
Theſ. Num. p. 298. *Oiſelius* annotat, antiquiſſimas editiones habere *verubus* ſeu *Veribus* pro *uberibus*, ut adeo Minutius veram Dianæ Epheſiæ imaginem expreſſerit, quando dixerit, eam & *mammis multis & Veribus exſtructam* ſive (uti in MS. legatur) *inſtructam* fuiſſe, h. e. jaculis, quibus utraque manu expanſa, ipſa Diana quaſi innitatur, quemadmodum Virgilio *Verua* dicantur jacula & mucrones teretes. Confirmat hanc lectionem nummus noſter, in quo Diana illa verubus ſuis terræ infixis ut firmiſſimis fundamentis inniti-
Num. Imp. p. 19. Theſ. Num. p. 299. tur. Cæterum ſilentio haud prætermittenda *Patini* & *Oiſelii* conjectura, *typum Dianæ Epheſiæ ab Ægyptiis ductum, & ad Iſidis exemplum expreſſum* eſſe. De hac enim *Macrobius* L. 1. Saturnal. c. 20. *Iſis juncta religione celebratur, quæ eſt vel terra, Vel natura rerum ſubjacens ſoli:*

hinc

Digitized by Google

hinc eſt, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne denſetur, *quia terræ, vel rerum naturæ altu nutritur univerſitas.* Sed & Calathus ſive Modius in Iſidis capite cernitur apud *Oiſelium* Theſ. Num. Tab. XLVII. n. II. unde Epheſii quoque capiti Dianæ calathum impoſuerunt, qui utrobique fæcunditatis & abundantiæ ſignum eſt. Velum denique circa caput Dianæ Epheſiæ Deitatem denotat atque Æternitatem.

III.

M. ΚΟΜΟΔ. ΑΝΤ. ΑΥΓ. ΙΜΠ. *Marcus Commodus Antoninus Auguſtus Imperator.* Caput Commodi nudum cum parte chlamydis humero admota.

ΦΟΕΛΙΚΙΤ. ΑΥΓ. *Fœlicitas Auguſti.* Leo equum proſtratum ſupplantat & mordet: Adſtat porta columnis aliisque ornamentis inſtructa, in cujus medio cernitur figura quædam humana, quaſi contempletur atque admiretur hoc ſpectaculum.

Hic Nummus plane ſingularis eſt, & nondum, quod ſciam, æri inciſus. Meminit quidem ejus *Job. Dan. Major*, in Epiſt. de Nummis Græce inſcriptis, tanquam *Hamburgi obſervati, in Bibliothecâ Senatûs ad S. Johannem publica*, ſed nullum exhibet ectypum, nullamque averſæ partis interpretationem, ſaltem circa Perigraphas quædam notat, quæ ſuo quoque loco indicabimus. Cupreus eſt noſter, & unciam duasque drachmas pondere excedit. *p. 39. ſeqq.*

In antica parte ipſum caput Commodi inſoliti quiddam præfert: Laurea enim caret corona, quam præcipuum Auguſtorum ornatum ſupra vocabamus. Attamen *M. Aurelius* & *L. Verus* etiam ſine laurea cernuntur

apud *Triſtanum* T. 1. Tab. 14. ut illius ſæculi Imperatores promiſcue ea fuerint uſi in numiſmatibus. Nihiloſecius formæ dignitas ex facie Commodi & capillis pulchre exſtantibus cognoſcitur, quam & *Herodianus* ita deſcribit: *Erat Commodo pulchra viriliſque facies, tranquillæ faces oculis atque micantes, flava & criſpa cæſaries, ut in ſole ambulanti velut igne quodam rutilaret, ſic ut euntem quidam ſcobe aurea putarent conſpergi: quidam etiam pro argumento divinitatis acciperent, ac radios eſſe illos circa verticem genitivos opinarentur. Adhæc lanugo malis proſerpebat, easque quaſi floribus conveſtiebat.* Hæc ille de Commodo juvene: ſed nummum in virili ejus ætate percuſſum prolixa prodit barba.

L. 1. c. 7.

Inſcriptionem deprehendo prorſus extraordinariam: nam litteræ lineis rectis ad perpendiculum ſunt diſpoſitæ, ac Latina exprimunt vocabula, cum alias Græco idiomati inſerviant. Equidem uomina Romana, qualia ſunt Μάρκος Κόμοδος Ἀντωνῖνος, etiam in nummis pure Græcis Romanam appellationem ſemper retinuere, atque iidem illud ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, quod in proprii cognominis vicem tranſierat, ſæpius ſuum fecere, prout paſſim obſervare licet, & infra in Num. VII. Æreo Caracallam ΑΥΓΟΥϹΤΟΝ, non ϹΕΒΑϹΤΟΝ vocatum legimus: imo *Xiphilinus*, inter titulos Commodi, quos Græco ſermone recenſet, hunceodem modo eloquitur Αὔγουστος: Sed vocem Latinam *Imperator*, quam hic prioribus litteris Græcis ΙΜΠ. ſignatam conſpicis, nunquam memini me legiſſe in nummis Græce inſcriptis, ſiquidem correctiores omnes pro ea habent ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ.

Epit. Dionis, in Commodo, p. 291.

Jungamus averſæ partis epigraphen non minus inſuetam ac inauditam. Quid enim aliud per ΦΟΕΛΙΚΙΤ.

ΑΥΓ.

ATT. intelligi poteſt, quam FOELICITAS AVGVSTI? Nullum ſane vocabulum in tota Græca lingva reperitur, quod has initiales habet ſyllabas ΦΟΕΛΙΚΙΤ; neque diphtongus ΟΕ a Græcis unquam eſt uſurpata; potius ſcribendum fuiſſet ΦΕΛΙΚΙΤ. aut ΦΗΛΙΚΙΤ: quemadmodum in Inſcriptione, quam ex *Reineſio* citat *Major* l. c., legitur: ΦΙΛΙΚΙCCIΜΑΙ i. e. *Feliciſſimæ*: Mitto nunc, quod Lambda minutum (λ) quadratis Græciæ litteris eſt inſertum; Tale enim occurrit quoque in gemma a *Ful. Urſino* in Imaginibus Virorum illuſtrium & eruditorum p. 49. vulgata, cui *Caput Solonis* inſculptum cum hac Inſcr. CΟλωΝΟC, ubi per illud λ non Λ, ut in exemplis a *Majore* allatis, ſed ipſa littera L notatur. Quin imo ſententiæ laudati *Majoris* lubens ſubſcribo: Hoſce errores *aut ruditati Artificis, aut novaturientis Græculi calliditati tribuendos eſſe.* Suſpicor, hoc Numiſma a quodam Nummariæ artis, non tamen Græcæ lingvæ perito dedicatum fuiſſe, qui ſuum erga Imperatorem affectum atque obſequium eo declarare voluerit. Etenim quam inconditæ primo intuitu videntur iſtæ notæ ΦΟΕΛΙΚΙΤ. ΑΤΓ. tam apte conveniunt Commodo, de quo *Lampridius* in ejus vita, c. 8. *Commodus, cum occidiſſet Perennem, appellatus eſt FELIX.* Scilicet cum Commodus ſe ſtudio agitandorum curruum & libidinibus cujusvis generis dedidiſſet, nec quicquam fere ageret eorum, quæ ad Principatum ſpectarent, Perennem, Italicum hominem, prætorianis præfecit. Is non ſolum curam militum, ſed etiam reliquorum omnium ſuſcepit, & totum plane imperium adminiſtravit; quos voluit, interemit, ſpoliavit plurimos, omnia jura ſubvertit, prædam omnem in ſinum contulit. Sublatis deinde e medio, qui Imperatorem paterno quodam

p. 40. *p. 41.* *p. 36.* *Herodian.* *l. 1. c. 8.* *Xiphilinus in Commodo, p. 287.* *Lampridius c. 6.* *Herodianus c. 9.*

dam

Digitized by Google

dam affectu complectebantur, imperium jam ipſum animo invaſerat. Perſvaſo igitur Commodo ut ſuos liberos, adoleſcentes adhuc, Illyricis præficeret exercitibus, ipſe pecuniæ vim ingentem contrahebat, ut prætorianos ampliſſimis largitionibus ab Imperatore abalienaret. Filii quoque Perennis clanculum copias colligebant, eo conſilio, ut quamprimum pater Commodum occidiſſet, ipſi principatum arriperent. Proditæ autem ſunt inſidiæ a Philoſopho quodam, qui juſſu Perennis igne combuſtus pœnas dedit intempeſtivæ libertatis. At haud multo poſt milites quidam clam Perennis filio nummos attulerunt, illius imagine percuſſos, eosque, ignaro etiam Perenni, Commodo oſtenderunt, ac totum inſidiarum patefecerunt ordinem. Quocirca inſcio negotii totius Perenni, ac tum nihil minus expectanti ſubmiſſi noctu a Commodo quidam caput abſciderunt. En! FELICITATEM Commodi AVGVSTI, qua Perennis inſidias evaſit.

Quia vero ingenioſus Nummi ſculptor ſatis cognitum habebat, res Imperatorum præclare geſtas exſculpi in ſimilibus monumentis ſolere vel figuris apertis hiſtorice, vel obliquis per ſymbola atque emblemata, ideo ſuo jure utens FELICITATEM illam Commodi ſub ſymbolo Leonis equum proſternentis repræſentare voluit.

L.VIII.c.16. Leonem *Plinius* vocat *animal omnium generoſiſſimum, cæterisque quaſi imperans.* Variæ ipſius & regiæ virtutes impulerunt Poëtas ac Philoſophos, ut non raro per eundem Principes majeſtate ſublimes ſignificaverint. Illos imitati ſunt Artifices, qui in marmoribus & nummis ſub Leonum imagine Imperatores Romanos figurarunt, eosque demonſtrare voluerunt, animi corporisque virtutibus

tibus Heroës iſtos leonibus ſimiles fuiſſe. Quod nec Auguſto Cæſari diſplicuiſſe marmorea ſvadet tabula a *Pigbio* Annal. Tom. 2. L. XI. p. 318. exhibita, in qua ille *Cæſar Auguſtus* tanquam *validus ac vaſtus Leo devorat Ægyptum, cornupetæ tauri ſub ſpecie humi jacentem*, quod pluribus exequitur laudatus Annalium ſcriptor. Ipſa gentilium Oracula in reſponſis ſuis Leonis figura pingere ſolebant eos, qui ſummam habebant poteſtatem, cujus rei exemplum admodum inſigne affert *Xiphilinus* ex Dione, in vita *p.285.286.* Commodi: *Eſt autem Malli, quod eſt oppidum Ciliciæ, oraculum Amphilochi & ſomniorum interpretatio, ubi Amphilochus Sexto reſponſum dedit, & pictura, quid futurum eſſet, ſignificavit. Pictus erat in tabella puer, à quo duo ſerpentes ſuffocabantur, itemq; leo* hinnulum perſequens. *Quam rem ego* (inquit Dio) *cum eſſem in Cilicia cum patre qui ei provinciæ præerat, non potui conjicere, antequam fratres a Commodo, qui Herculem poſtea imitatus eſt, quodammodo ſuffocatos eſſe intelligerem, ut Herculem infantem adhuc memoriæ proditum eſt ſerpentes a Junone immiſſos ſuffocaſſe* (*Quintilii enim ſtrangulati ſunt.*) Jamque Sextum fugere, eumque potentiorem Commodum perſequi cœpiſſe. Non dubitarem hunc Xiphilini locum ad præſentem Nummum applicare, niſi loco hinnuli appareret equus, isque indomitus atque effrenus, qui de innocente Sexto intelligi nequit. Hinc putarem, Commodo cum Leone, cum equo eſſe Perenni aptiorem convenientiæ rationem; quem paulo ante *Herodianus* narrabat curam militum a Commodo accepiſſe, mox omnia ad ſe traxiſſe, &, (quod maximum) de Commodo interficiendo tandem cogitaſſe.

Certe *Ulyſſes Aldrovandus* lib. de Quadrupedibus

ſolidipedibus p. m. 82. *per equum indomitum* ſæpe, neque imprudenter *ſuperbiam & animi elationem indicari* teſtatur, eumque in finem citat illud *Prudentii:*

Fortè per effuſas inflata ſuperbia *turbas*
Infræni *volitabat* equo.

Atque ſequentia *D. Auguſtini* verba: *Et revera eſt in equo cervix indicans quandam ſuperbiam.* E contrario apud eundem p. 844. *Pierius vulgatiſſimum illud ait eſſe argumentum, hominem feroci invictoque animo, imperio tamen & rationi obſequentem, hieroglyphicè per frænatum equum ſignificari. Hinc Panatium dicere apud Ciceronem, Africanum ſolitum dicere, equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes domitoribus tradi ſolere, ut his facilioribus uti poſſint, ſic homines ſecundis rebus effrænatos, ſibique præfidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere.* Appoſite igitur Artifex ambitioſum & rebellem *Perennem* per equum ferocem atque effrænatum deſignat, quem Leo læſus, *Commodus Imperator*, interficit, hac ratione vitam ſuam conſervans, majeſtatemque reſtituens.

Nolo tamen hanc interpretationem cuiquam obtrudere, & meliora docenti non refragabor.

IV.

L. SEPT. SEVE. PERT. PIVS. AVG. IMP. P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *Lucius Septimius Severus Pertinax Pius Auguſtus Imperator, Pontifex Maximus, Tribunitia Poteſtate decimùm, Conſul tertiùm Pater Patriæ.* Caput Severi laureatum, pectusque armatum.

ADVENTVS AVGG. S. C. *Adventus Auguſtorum. Senatus-Conſulto.* Tres equites decurrentes & dextras in ſublime attollentes.

Spa-

Digitized by Google

Spatium ſat amplum, inſcriptioni circa caput Severi deſtinatum, tantos acervos titulorum commodius capere potuit, quam Nummus quartus ex auro, aut ſextus ex argento, qui ejusdem Imperatoris imagine, ſed paucioribus titulis ſunt inſigniti. De cognomine PERTINACIS *Oroſius: Severus ſe ex nomine Imperatoris, quem occiſum* L.VII.c.11. *ultus fuerat, PERTINACEM appellari voluit.*

Tribunitiæ Poteſtatis annus *decimus* incidit in A. C. CCII. & CCIII. ex computo *Antonii Pagi*, Critic. Hiſt. Chron. in Annal. Bar. A. C. 203. *Severus Idibus Aprilis* n. V. *anni ſuperioris Tribunitiam Pot. X. ſuſcepit, quæ præſenti anno adhuc in curſu fuit.*

Teſte *Caſſiodoro* in Chron. *Severus* cum Conſul III. p. m. 692. eſſet, collegam habuit *Antoninum* filium. Ejusdem Conſulatus *Spartianus* ſic meminit: *Dein quum Antiochiam* in vita Se- *tranſiiſſet, data virili toga filio majori, ſecum eum conſu-* veri c. 17. *lem deſignavit, & ſtatim in Syria conſulatum inierunt:* quod accidit poſt Parthicum bellum ſecundum feliciter a Severo confectum, prout ex eodem *Spartiano* & Num- c. 16. mis Severi ſupra exhibitis liquet. Redeunte deinde Romam Imperatore, una cum duobus filiis, inter plauſus ob victoriam & felicem eorum ADVENTUM cuſus eſt hic nummus, in quo proinde cernuntur tres equites decurrentes, Severus nempe in medio, a dextra habens Caracallam, a ſiniſtra Getam. Dextras protendunt, eoque geſtu pacem & clementiam occurrenti populo indicant. *In omnibus* enim *Numiſmatibus*, inquit *Monterchius*, *in* in Num. *quibus eſt vox ADVENTVS, ſive cuſa ſint propter adven-* Max. Mod. *tum in Urbem, aut in Provinciam aliquam, aut ad exercitum,* Card. Carp. *Imperator eodem modo conſpicitur manu protensâ, ſecuri-* p. 93. *tatem, pacem & ſalutem nuntians:* quod non tantum

in nummis Hadriani, Philippi & Probi, ſed & in ſtatuis equeſtribus Domitiani & M. Aurelii obſervatum oſtendit.

Legitur autem in hoc Numiſmate ADVENTVS AVGG. cum duplici GG, quia in iſta expeditione Parthica milites Antoninum Caracallam AVGVSTVM dixerant, cui ex eo tempore hoc nomen cum Patre commune erat, & Geta Caſaris tantum nomen acceperat, nec tum uſus ferebat, ut Cæſares in Nummis & Inſcriptionibus, ſimul cum *Auguſtis* memoratis, *Auguſti* & ipſi vocarentur. Eadem de cauſſa caput Getæ nudum eſt, Severus & Caracalla laurea ſunt coronati, hanc nempe Auguſti etiam ſibi reſervabant: qua de re jam ſupra circa Nummum IV. aureum.

L. III. c. 10. Nunc operæ pretium eſt audire *Herodianum*, de eodem Severi & filiorum in Urbem ADVENTV ita loquentem: *Severus interea rebus ad orientem ſic geſtis Romam revertebatur, filios jam puberes ſecum adducens. Confectoque itinere, ac provinciis, ut cuique uſus foret, ordinatis, Myſorumque & Pannoniorum recognitis exercitibus, urbem dein triumphans invectus eſt, multis acclamationibus omnique cerimonia populo excipiente.* Quod Herodiani teſtimonium tam perſpicue nummo noſtro favet, ut nihil nos deterrere queat, quo minus illum pro genuino & ſumme æſtimabili agnoſcamus.

Novi equidem a nonnullis animadverſum, litteras S. C. quæ nummum ex decreto Senatus Romani cuſum eſſe indicant, in maximi moduli Numiſmatibus non reperiri. *Marqu. Freberus* de re Mon. Vet. Rom. L. I. c. I. p. 12. *Neque h. l. diſſimulandum eſt, eſſe etiam aneorum nummorum genus, prægrande illud & ſolito majus ponderoſiusque (Metalliones vulgo vocant) & plerumque res nota-*

notabiliores inſignioresque inſculptas habens, non tantum apud Provincias Græcas vel Aſiaticas, ſed etiam urbem Romam in Cæſarum honorem percuſum, in quo nunquam S. C. nota *viſatur, quo uno argumento ſtatim* extraordinarios *agnoſcas, ubi videris. Montercbius* in Præfatione Num. Max. Mod. Card. Carp. præmiſſa in eandem deſcendit ſententiam: *Obſervandum*, inquiens, *in numiſmatis hiſce maximis, mole inſignibus, & maximi moduli, uti vocantur, nullum notari Senatus-Conſultum, quod fieri ſolet in aliis nummis aneis hiſce duabus literis S. C. quaſi cuſa ſint ad arbitrium Imperatorum, ut iis in Donativis uterentur, eo plane modo, quo & hodie Principes ſuis nummis ſymbolicis uti ſolent.* Verum hæc regula patitur exceptionem, prout videre licet in *Patini* Theſ. Num. p. 127. 128. ubi litteræ S. C. in *Nummis maximi moduli Philippi junioris* & *Trajani Decii* etiam extant, quos magnus ille Antiquarius nullius falſitatis arguit. Licet igitur concedam Monterchio, Numiſmata maximi moduli nonnunquam cuſa eſſe ad arbitrium Imperatorum, ut iis in Donativis uterentur, exinde tamen minime ſequitur, Senatui Romano prorſus denegatam fuiſſe poteſtatem ejuſmodi nummos percutiendi; contrarium potius ſuadet nota ac paſſim teſtata iſtius Senatus adulatio, qua Imperatores ſuos proſequebatur, & omnia conquirebat, quæ ad eorum gloriam aliquid conferre videbantur; quidni etiam grande hoc nummorum genus adhibuerit, ac per illud magnificentiam ſuam oſtentaverit, res a Cæſaribus geſtas poſteris commendaturus? Planiſſime in rem noſtram *Herodianus* de Severo ait: Ἡ δὲ σύγκλητος πάσας τιμὰς ἐψηφίσατο αὐτῷ. *L. III. c. 9.* *Senatus vero ipſi* (Severo victorias ſuas exponenti) *nihil non honorum decrevit.* Itaque Severo cum filiis poſt mul-

ta confecta feliciter bella in Urbem reduci nummus noſter ex Senatus-Conſulto cuſus eſt, tanquam publicæ gratulationis index, ac ut ſplendido hoc monumento ADVENTVS AVGG. memoria ad poſteros perveniret. Non ſine cauſſa ſplendidum voco monumentum: Ejus namque materia eſt metallum flavum illi plane conforme, ex quo primum hujus Tabulæ numiſma conſtat, proinde tanti etiam eſt ponderis, trium videlicet unciarum. Præterea rariſſimum eſt, ut licet *Mediobarbus* aureum, & *Morellius* alium ex ære medio Severi nummum cum ADVENT. AVGG. tribusque equitibus decurrentibus exhibeat, neuter tamen eorum hujus noſtri ex maximo modulo mentionem faciat.

p. 275.
Specim. p. 43.

V.

L. SEPT. SEVE. PERT. PIVS. AVG. IMP. P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *Lucius Septimius Severus Pertinax Pius Auguſtus Imperator, Pontifex Maximus, Tribunitia Poteſtate decimum, Conſul tertium, Pater Patriæ.* Caput Severi laureatum, cum parte pectoris lorica armati, cujus medio inſculptum eſt caput Meduſæ.

VICTORIA AVGG. S. C. *Victoria Auguſtorum. Senatus-Conſulto.* Figuræ duæ habitu militari indutæ dextras jungunt: a tergo cujusque ſtant milites cum clypeis, haſtis, ſignisque militaribus.

Ratio ſculpturæ, magnitudo, materia, indeque orta craſſities & pondus huic Nummo cum antecedente prorſus conveniunt, ut uterque eodem anno (quem Tribunitiæ poteſtatis numerus innuit) & ab uno artifice elaboratus videatur. Cumque anticæ partis circumſcriptio utrobique eadem ſit, commode tot titulorum & nominum

num enodatione ſuperſedere potero, non tamen alienum arbitror proferre quædam *de capite Meduſæ*, quod in pectore geſtat Severus Imperator.

Meduſam Poëtæ inter filias Phorcys & Ceti collocabant, tres illarum numerantes, Σθενὼ, Εὐρυάλην & Μέδουσαν, eaſque Γοργοὺς ſive Gorgones appellantes. Celebratiſſima vero erat Meduſa, quam fingebant propter pulchritudinem a pluribus expetitam, conjugium tandem Neptuni effugere non potuiſſe, ejusdemque in templo Minervæ concumbentis crines a Minerva in ſerpentes mutatos eſſe, quos quicunque deinceps aſpexiſſet, in ſaxum eſſet converſus; ei denique dormienti caput à Perſeo ſcuto Palladis tecto abſciſſum eſſe. Vide prolixe *Ovidium* L. IV. Metamorph. *Pauſaniam* in Atticis, ubi de ſtatua Athenienſis Minervæ hæc habet: *Minervæ ſignum recto ſtatu eſt, cum tunica talari; in ejus pectore* Meduſæ caput *ex ebore factum.* Et in Bœoticis: *Memoriæ proditum eſt, Jodamiam deæ ſacerdotium gerentem noctu intra ſacrum templi ſeptum veniſſe: Minervam ei ſe obtuliſſe cum palla, in qua Meduſæ Gorgonis caput inerat: eo conſpecto ſtatim Jodamiam in lapidem obriguiſſe.* Perſeum quoque vultus Meduſæ ſaxificos in conficiendis hoſtibus adhibuiſſe comminiſcitur *Ovidius* L. V. Metamorph. *Heſiodus* de eodem *Perſeo*:

Heſiodus Theog. verſ. 276.

verſ. 788. ſeqq.

p. 308.

in Scuto Herculis, v. 223. 224.

Πᾶν δὲ μετάφρενον εἶχε κάρη δεινοῖο πελώρου
Γοργοῦς.

Totum autem tergum ejus tenebat caput ſævi monſtri Gorgonis. Hiſce Poëtarum figmentis ſeducti Græci & Romani Heroës os Meduſæ anguibus cinctum in ſcutis, aut in thoracibus ſuis formari curabant. *Homerus* de ſcuto *Agamemnonis*:

Iliad. λ. v. 36. 37.

Τῇ

Τῇ δ' ἔπι μὲν γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο
Δεινὸν δερκομένη. περὶ δὲ Δεῖμός τε Φόβος τε.

In eo Gorgon terribili aſpectu cincta erat
Horribiliter aſpiciens: circum erat Terrorque Timorque.

Part. I. p. m. 573. *Lucianus* etiam in Dialogo, qui inſcribitur: Πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν, exemplum commemorat Gorgonis in clypeo Imperatoris depictæ. Propius vero nummum noſtrum attingit *Servius* in VIII. Æn. v. 435. *Ægis proprie eſt munimentum pectoris æreum habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum ſi in pectore Numinis fuerit, Ægis vocatur: ſi in pectore hominis, ſicut* in antiquis Imperatorum ſtatuis videmus, Lorica *dicitur.* Nempe credulos ipſorum animos occupaverat fuſa per gentes ſuperſtitio, tantam eſſe hujus imaginis vim, ut, & terrorem hoſtibus incutiat, &, qui ea utatur, evadat juxta *Lucianum* στρατηγέτης ἀκαταμάχητος, ac ubicunque pugnam committat, victoriam conſequatur certiſſimam. Inde ergo apparet liquido, quo conſilio SEVERVS Meduſæ caput in pectore geſtaverit. Sed & allatus *Servii* locus inſuper docet, illud, quo Severum indutum cernimus, *Loricæ* vocabulo antiquitus nominatum fuiſſe.

in Philopat. Part. II. p. m. 942.

In averſa Nummi parte duæ figuræ dextras jungunt; quod alias CONCORDIÆ AVGG. eſt ſymbolum ut in Nummis *M. Aurelii & L. Veri* apud *Oiſelium*, item *Caracallæ & Getæ* apud *Triſtanum*. Sed quid ad hanc picturam Inſcriptio: VICTORIA AVGG? Singulare hoc eſt, & raritatis certiſſimum argumentum: nulla enim hujus Numiſmatis mentio in rei Nummariæ ſcriptoribus mihi viſis. Equidem ſimile quippiam deprehendo in Nummo *Getæ*, quem *Triſtanus* vulgavit, ubi Caracalla & Geta itidem

Tab. LXXXII. n. V.
T. 2. p. 263.
T. 2. p. 271.

itidem dextras jungunt, addita epigraphe: VICT. AETERNAE. AVGG. Illud tamen intercedit diſcrimen, quod ibi Victoria ſtat media inter binos fratres; hic a tergo cujusque figuræ dextram porrigentis cernuntur milites armis ſignisque inſtructi.

Quod ſi vero nominatim indicandi ſint, qui in Nummo noſtro dextras implicant, *Severum & Caracallam*, patrem & filium, dixerim: Horum in Nummo VI. argenteo facies, ut in præſenti manus ſociatæ, comparent: hi ſoli ſplendidum AVGVSTORVM titulum ſuſtinebant, cum Severus ageret annum tribunitiæ poteſtatis decimum: hi denique Parthicæ Maximæ aliarumque Victoriarum gloria clari erant. Neque hic iterare attinet, quæ ex Herodiano ac Nummis Severi antea attulimus; repetere ſaltem ſufficiat, Severum & Caracallam ob victorias ſuas a Senatu Populoque Romano ampliſſimis ornatos honoribus, in quorum numero præſens quoque Numiſma reponendum eſſe teſtantur litteræ S. C. Ut ſenſus ſit: Senatum victorias reportatas utriusque AVGVSTI fortitudini, utriusque prudentiæ militari, utriusque Concordiæ, utriusque Felicitati adſcribere, de communione Imperii tam fortunata intime lætari, ac ſpe duci certiſſima, illam fore perquam diuturnam, pluresque inde ſecuturas victorias, & reipublicæ Romanæ incrementa longe maxima. Quam explicationem firmiorem reddit Inſcriptio Romæ ſub radicibus Capitolii in arcu triumphali exſtans, ac in *Jo. Cuſpiniani* Opere de Cæſaribus atque Impp. Romanis relata: IMP. CAES. SEPTIMIO. M. F. SEVERO PERTINACI AVG. PP. PARTHICO ARABICO ET PARTHICO ADIABENICO PONT. MAX. TRIB. POT. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. *Pag. LXXXV.*

M CAES.

Digitized by Google

CAES. M. AVRELIO L. F. ANTONINO AVG. PIO FOELICI TRIB. POT. VI. COS. PROCOS. PP. OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS OB REMPVB. INSTITVTAM IMPERIVMQVE POP. ROM. PROPAGATVM INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM DOMI FORISQVE S. P. Q. R.

VI.

L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PERTINAX. PIVS. AVG. IMP. P. P. *Lucius Septimius Severus Pertinax Pius Auguſtus, Imperator, Pater Patriæ.* Caput Severi laureatum cum pectore lorica armato, cujus Medio Meduſæ caput eſt inſculptum.

P. M. TR. P. XVI. PROFECTIO AVG. *Pontifex Maximus, Tribunitia Poteſtate decimùm ſextùm. Profectio Auguſti.* Imperator equo inſidens paludatus & dextra haſtam gerens: Præit unus cum clypeo & haſta, ſequuntur tres pedites armati.

Inter Nummos æreos, quos ex Gazophylacio Arnſtadio-Schvvartzburgico mea diſſertatio exhibet, hic craſſitie excellit atque magnitudine, quæ etiam in tantum adauget ejus pondus, ut ipſum Neronianum duabus drachmis ſuperet. Nam & ex nobili illo ære eſt conflatus, ex quo dictus Neronis, & duo antecedentes Severi nummi.

Priori parti non immorabor, quandoquidem quæ in ea occurrunt, in præcedentibus ſunt illuſtrata.

Altera vero PROFECTIONEM Severi repræſentat majori apparatu ornatuque, quam ſupra Neronis PROFECTIO apparebat. Hic enim tres milites ſequuntur Imperatorem galeis criſtisque ornati, ibi unicus, cum nu-

da

da galea. Qui Severum præcedit, ſive Tribunus ſit, ſive alius ex legionum ducibus, clypeo, haſta, & galea criſtata eſt præditus, qui Neronem, clypeo tantum & galea.

Tribunitiam Poteſtatem XVI. ſuſcepit Severus Idibus Aprilis A. C. 208. ex ſententia præſtantiſſimorum Chronologorum, *Antonii Pagi*, *Sethi Calviſii*, aliorumque, quo ipſo anno juxta eorundem calculum Severus *in Britanniam* eſt profectus. Hæc igitur eſt illa PROFECTIO AVG. quæ in hoc nummo noſtro indigitatur, quamque, addita etiam occaſione, omnium luculentiſſime deſcribit *Herodianus: Liberorum ſuorum vitam & indecora in ſpectaculis ſtudia ferens graviter ſenex imperator, litteras a Britanniæ Præfecto accepit, quæ docebant, barbaros illic ſeditiones agitare, regionemque omnem incurſionibus ac depopulationibus vaſtare: quare majore manu ad reſiſtendum, vel etiam Principis ipſius præſentia, opus eſſe. Lætus ea Severus accepit:* (Φύσει μὲν καὶ φιλόδοξος ἄλλως ὑπάρχων) *quippe* homo ſuapte natura gloriæ appetentior, *poſt victorias ad orientem ſeptentrionemque, & cognomina utrinque parta, etiam trophæa contra Britannos excitare aliqua cupiebat. Adhæc filios quoque abducere ex Urbe, ut procul a munditiis urbanis, in caſtris militari vita ac ſobria juvenes inſveſcerent.* (Ἐπαγγέλλει τὴν εἰς τὴν Βρεττανίαν ἔξοδον, πρεσβύτης τε ἤδη ὢν καὶ ὑπὸ τῆς ἀρθρίτιδος νόσου κάμνων· ἀλλὰ τὰ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ ἔρρωτο ὑπὲρ πάντα νεανίαν. τὰ πλεῖστα γοῦν καὶ φοράδην φερόμενος τῆς ὁδοιπορίας εἴχετο, οὐδὲ πώποτε ἐπὶ πολὺ μείνας ἀνεπαύετο.) *Ita EXPEDITIONEM IN BRITANNIAM edicit, ſenex jam, & morbo articulari laborans: tanta autem animi virtute, quanta nemo unquam vel juvenum. Igitur ITER ingreſſus lectica plurimum vehebatur, nulloque* L.III.c.14.

 ceſſa-

Digitized by Google

ceſſabat loco. Quare confecto itinere una cum filiis ſpeque omni ac ſermone celerius enavigato Oceano, Britanniam ingreſſus eſt: collectisque militibus ac maximis conflatis viribus bellum comparabat. Ecce! gloriæ cupiditate inſtinctus hoc iter iniit Severus, cujus proinde perpetuum monumentum extare voluit prægrande hoc Numiſma, a Nummographis nondum vulgatum, quamvis
p. 278. minores nummos adducant *Mediobarbus & Vaillant*, ean-
T. 1. p. 110. dem Profectionem Severi commemorantes. Nec fru-
& T. 2. p. 109 ſtra ſuſcepta eſt hæc expeditio; hoſtes enim repentino Severi adventu perculſi nullibi comparebant, quos usque
Xiphilinus, ad ultimos Inſulæ fines perſecutus eſt. Ipſe vero, ut
p. 339. prædictum erat a vatibus, nunquam ex eo itinere Romam
Spartianus, reverſus, ſed tertio poſt anno Eboraci mortuus eſt, ſub-
p. 324. actis gentibus, quæ Britanniæ videbantur infeſtæ.

Profectiones autem *Imperatorum* in rebus permagni momenti fuiſſe apud Romanos, nemo inficiabitur, qui cogitaverit, illum morem jam a primis Reipublicæ temporibus obtinuiſſe. Quam in rem memorabilis extat *Livii* locus L. XLII. *Per hos forte dies P. Licinius COS. votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab Vrbe profectus eſt. Semper quidem ea res cum magna dignitate & majeſtate geritur: præcipue convertit oculos animosque, cum ad magnum nobilemque aut virtute aut fortuna hoſtem, euntem Conſulem proſequuntur. Contrahit enim non officii modo cura, ſed etiam ſtudium ſpectaculi, ut videant Ducem ſuum, cujus Imperio conſilioque ſummam Reip. tuendam permiſerunt.*

VII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CΕΟΥΗΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΑΥΓ.
Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ, Μάρκος Αὐρήλιος Σεουῆρος Ἀντωνῖνος
Αὐγου-

κυγϛ⊙. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Severus Antoninus Auguſtus.* Caput Antonini Caracallæ laureatum cum pectore lorica armato, in cujus medio caput Meduſæ: manu ſiniſtra tenet haſtam humero innixam.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum Neocororum.* Serapis, ſtans ad aram, dextram elevat, ſiniſtra gerit cubitum.

Severi nummos juſto ordine excipit præſens Caracallæ, hic enim patre defuncto & occiſo fratre Geta ſolus imperare cœpit. More majorum patris nomen (CΕΟΤΗΡΟC) *Herodianus*
ſuis prænominibus addidit, quo ipſo a cæteris *Antoninis* *L. IV. c. 4.*
optime diſcernitur. MARCVS AVRELIVS ANTONINVS a Severo appellatus fuerat, in honorem optimi *In Severo,*
Imperatoris M. Aurelii Antonini Philoſophi, atteſtan- *L. III. c. 10.*
tibus *Herodiano* & *Ælio Spartiano.* *c. 10.*

Vultus Caracallæ hoc in nummo apparet truculentus & moroſus, adeoque valde differens ab eo, quem VII. ex argento exhibebat, blandum nempe, & humanitatis notas referentem. Etenim cum ætate etiam vultus hujus Imperatoris mutatus eſt: quod & annotavit *Spartianus* in ejus vita cap. 1. *Hujus* (Antonini Caracalli) *pueritia blanda, ingenioſa, parentibus affabilis, amicis parentum jucunda, populo accepta, grata Senatui, ipſi etiam ad amorem conciliandum ſalutaris fuit. — Egreſſus vero pueritiam, ſeu patris monitis, ſeu calliditate ingenii, ſive quod ſe Alexandro Magno Macedoni æquandum putabat, reſtrictior, gravior,* vultu etiam truculentior factus eſt: prorſus ut eum quem puerum ſcirent, multi eſſe non crederent.

In averſa parte PERINTHII ſe auctores hujus Numiſmatis profitentur; de quorum civitate *Stephanus;*

 ΠΕ-

ΠΕΡΙΝΘΟΣ, ἀπὸ Περίνθου Ἐπιδαυρίου, τοῦ μετ' Ὀρέστου στρατευσαμένου. Ἔστι δὲ πόλις Θρᾴκης. Ὁ πολίτης, Περίνθιος. *PERINTHIVS, a Perintho Epidaurio, qui cum Oreſte militiam exercuit. Eſt vero urbs Thraciæ. Civis, PERINTHIVS.* *Plinius* L. IV. c. 11. de *Thracia* agens, ſcribit: *Longitudo terrarum inter Adriaticum mare & Propontidem M DCC XI. paſſ. patet. Amnes, Bathynias, Pydaras ſive Atyras. Oppida, Selymbria, PERINTHVS latitudine ducentorum paſſuum continenti adnexa.* Ex his igitur de ſitu Perinthi fieri poteſt judicium.

Porro ΝΕΩΚΟΡΩΝ titulus Perinthiis adſcribitur, cujus ſignificationem cum ſatis ſuperque declaraverint eruditiſſimi Viri, *Bald. Walæus* Comment. in Act. XIX. 35. ubi Epheſiorum urbs Νεωκόρος magnæ Dianæ vocatur; *Matth. Polus* in Synopſi Crit. ad eundem locum; *Triſtanus* T. I. p. 29. ſeqq. *Harduinus* in Num. Ant. Pop. & Urb. ill. p. 2. & 3. *Morellius* Specim. p. 24. 25. *Sperlingius* de Num. Furiæ Sab. p. 60. 61. *Jac. de Wilde* in Selectis ſuis Num. nuperrime editis p. 19. & qui præ cæteris nominandus erat *Albertus Rubenius*, in peculiari de Urbibus Neocoris Diatribe; actum agerem, ſi huic diutius immorarer. Ne tamen quiddam inexplicatum relinquam, pauca proferam, quæ numiſma noſtrum proxime attingunt. Νεοκόρος juxta *Suidam* eſt ὁ τὸν ναὸν κοσμῶν καὶ εὐτρεπίζων, *cui templi verrendi, expurgandi & exornandi cura commiſſa eſt.* Qui Græcis Νεωκόροι Latine dicebantur *Æditui* vel Æditimi, qui ædibus ſacris præerant, ut eſt apud *A. Gellium* L. XII. c. 10. In magnis autem Templis non exiguum fuiſſe Neocororum ſive Æedituorum numerum *Julius Firmicus* innuit, lib. de Errore profanarum Religionum ita c. 14. de *Serapide* loquens: *Hic in Ægypto colitur, hic adoratur.*

Hujus ſimulacrum Neocororum turba *cuſtodit*. Ab hiſce tranſiit iſta nomenclatio ad urbes populoſque, qui intra ſua mœnia fanum alicujus Dei aut Auguſti cultu celebre habebant, aut jam demum exſtruebant: Vel curatores erant ſacrarum pomparum & certaminum ſolennium, quæ in honorem Imperatorum ſæpiſſime celebrabantur: Vel alia pro ſalute Principum ſacra inſtituebant. His enim de cauſſis civitates populoſque ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ appellatos fuiſſe ex litteris ac marmoribus antiquis obſervarunt ſupra laudati Scriptores, atque teſtantur innumeri nummi, in quibus *Pergameni, Epheſii, Perinthii, Laodicenſes, Smyrnenſes*, &c. ΝΕΩΚΟΡΩΝ utuntur elogio, quando Deorum effigies ac nomina, templa, certaminumque appellationes in his ſuis monumentis exhibent.

Hic PERINTHII Serapin ſiſtunt, ſtantem ad aram, in qua ignis cernitur accenſus; quo indicatur, Perinthios ſacrificia publica feciſſe pro ſalute ac incolumitate Antonini Caracallæ, cui dediti ſſimi ac devotiſſimi erant, memores adhuc inſignis beneficii, quô ipſos Severus, pater Caracallæ, erat complexus, Byzantium, urbem ampliſſimam, ſed ſibi adverſam, in vici formam redigendo, Perinthiisque illam in ſervitutem adjudicando, uti *Herodianus L. III. c. 6.* memoriæ prodidit.

Serapis dextram verſus cœlum elevat, quaſi promittat, ſe locum daturum communi Perinthiorum petitioni. Quæ vero ab ejus manu ad aram usque tendunt, ob detrimentum nummi non ſatis poſſunt cognoſci: certo tamen ſunt indicio, hunc nummum diverſum eſſe ab eo, quem *Triſtanus* habet T. 2. p. 188. ibi enim inter manum Serapidis & aram plane nihil intercedit: alia vero omnia cum hoc

hoc noſtro conveniunt, niſi quod ara quoque in Triſtani nummo ſit minor ac humilior, in noſtro excelſior.

Cultus Serapidis primum apud Ægyptios viguit, quorum ſupremum erat Numen. Ita *D. Auguſtinus* L. XVIII. de C. D. c. 5. *His temporibus Rex Argivorum Apis Navibus transvectus eſt in Ægyptum, cum ibi mortuus eſſet, factus eſt* Serapis omnium maximus Ægyptiorum Deus. Et *Macrobius* L. I. Saturn. c. 20. *Serapin Ægyptii Deum ma-*
p. 16. *ximum prodiderunt.* Teſte *Pauſania* in Atticis a Ptolemæo hujus Dei religio ad Athenienſes delata fuit: *Hinc ad inferiores urbis partes deſcendentibus Serapidis fanum ſe oſtendit; cujus religionem a Ptolemæo Athenienſes acceperunt; Apud Ægyptios autem complura ſunt ejus templa, ſed omnium clariſſimum habent Alexandrini, antiquiſſimum Memphitici.* Idem in Corinthiacis, Laconicis & Achaicis templorum Serapidis apud *Corinthios, Lacedæmonios & Patrenſes* mentionem facit. Unde in Thraciam ſuperſtitionibus deditam cultus iſte facile manavit. Perinthios maxima veneratione Serapin eſſe proſecutos, liquet utique ex variis eorundem Nummis a *Triſtano,*
p. 79. *Harduino* & *Monterchio* allatis, quibus præſens etiam annumerandus.

Cernitur in eo Serapis ea forma, quam illi tribuebant Ægyptii, cum modio ſeu calatho capiti impoſito, ſiniſtra tenet haſtam ſeu potius cubitum, quæ Serapidis ornamenta & nominant & explicant nunc adducendi auctores. *Ruffinus* L. II. Hiſt. Eccleſ. c. 23. *De Serapidis origine diverſa fertur opinio, alii Jovem putant, cujus capiti* modius *ſuperpoſitus, vel quia cum menſura, modoque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi. Quidam in honorem noſtri Joſeph forma-*

tum

tum perhibent ſimulachrum, ob dimenſionem frumenti, qui tempore famis ſubvenit Ægyptiis. *Suidas* in voce Σάραπις: Τοῦτον οἱ μὲν Δία ἔφασαν εἶναι. οἱ δὲ τὸν Νεῖλον, διὰ τὸ μόδιον ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ. καὶ τὸν πῆχυν, ἤγουν τὸ τοῦ ὕδατος μέτρον. ἄλλοι δὲ τὸν Ἰωσήφ. *Hunc deum alii Jovem eſſe dixerunt, alii Nilum, propter* modium, *quod in capite habet,* & cubitum, menſuram aquæ *ſcilicet, alii vero Joſeph.* Huc etiam facere videntur, quæ *Sozomenus* habet L. V. Hiſt. Eccleſ. c. 3. de Juliano: Προσέταξε δὲ καὶ τὸν πῆχυν τοῦ Νείλου, καὶ τὰ σύμβολα, καὶ τὰ παλαιὰ πάτρια κομίζεσθαι πρὸς τὸν Σάραπιν. *Dat porro mandatum, ut tum cubitus, quo Nili inundationem metiri ſolent, tum munimenta vetera avitaque ad Serapidem pertinentia reſtituantur.* *Artemidorus* L. 5. c. 94. Τὸν κάλαθον τὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ Σαράπιδος κείμενον commemorat. *Macrobius* L. 1. Saturn. c. 20. *Solem ſub nomine Serapidis* cultum eſſe, ideoque *verticem* ejus Dei *inſignitum* calatho *& altitudinem ſideris monſtrare, & potentiam capacitatis oſtentare* exiſtimat, *quia in eum omnia terrena redeant, dum immiſſo calore rapiuntur.* Plura de Deo iſto apud paganos celebratiſſimo congeſſerunt *Joh. Lud. Vives* & *Leonh. Coqueus* in Commentariis ad Auguſtini L. XVIII. de C. D. c. 5. *Thom. Dempſterus* in Roſini Antiqq. Rom. p. 57. ſeqq. & p. 426. *Gerh. Joh. Voſſius* de Idololatria L. 1. c. 29. *Oiſelius* Theſ. Num. p. 215. ſeqq.

Numiſmatis, de quo hactenus ſermo fuit, materia eſt orichalcum: pondus unciæ & ſemunciæ accurate reſpondet.

VIII.

ΑΥΤΟΚΡΑ. Κ. ΜΑΡΚΟϹ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ.

Αὐτο-

Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνεῖνος. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum cum pectore armato.

ΕΠΙ. CΤΡ. ΙΟΥΛ. ΑΝΘΙΜΟΥ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Prætore Julio Anthimo Pergamenorum primorum ter Neocororum.* Imperator paludatus eques dextram elevans, ſiniſtra Leonem confodiens.

Nummus hic ex orichalco factus, & uncialis eſt, nec dum, quod ſciam, ab Antiquariis prolatus. Ne autem alicui mirum videatur, quod Latina littera V in utraque Numiſmatis parte Græcis eſt admixta, ſciendum, idem in aliis id genus monumentis ab Ill. *Spanhemio* obſervatum fuiſſe. *Certe*, inquit laudatus vir, Diſſ. II. p. 59., *Latinorum V pro Græcorum ὑψιλὸν in recentioribus Græcorum nummis paſſim receptum videas, ſignatis ætate Alexandri Severi, Philipporum & ſequentium.* Et jam Hadriani ævo has corruptelas irrepſiſſe docet *Jo. Tob. Major* ex *Nummo Hadrianeo cum inſcriptione*, ΔIVOC ANTINOOC, *in honorem turpiſſimi juvenis Antinoi ab Imperatore publico uſui dato, ac apud Cuperum in Explic. Num. Ant. p. 243. depicto.* Quibus ex *Monterchio* addere liceat unum Severi & tria Caracallæ Numiſmata, quæ idem Vau Latinorum in vocibus CEOVHPOC & AVP. exhibent.

in Epiſt. de Nummis Græce inſcriptis p. 39.

p. 44. 48. 56. & 64.

Porro hic ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC legitur, cum in antecedente Nummo ſcriptum ſit ΑΝΤΩΝΙΝΟC, quod etiam in aliis Caracallæ & reliquorum Antoninorum nummis apud *Triſtanum* atque *Monterchium* notatur, indeque factum *Sperlingio* videtur, *quod eadem ſit utriusque pronuntiatio, alia ſolum ſcriptio*, id quod variis exemplis ex antiquitate petitis manifeſtum reddit, ac inter alia monet, *jam tempore Hadriani, & prius, iſtam pronunciationem, ubi* H

De Num. Furiæ Sab. p. 39. ſeqq.

& EI tanquam I Latinum efferuntur, apud aliquas nationes Græcorum invaluiſſe, haud tamen apud omnes, & inſtar Dialecti peculiaris obſervatum hoc eſſe, quod ex nummis non ſolum pateat, quorum ingentem numerum proferre poſſet, præter illa, quæ ſpeciminis loco dederit, verum etiam qui populi & quæ civitates hac pronunciatione ſint uſæ, vel ſecus, ex iisdem nummorum inſcriptionibus Græcis optime deduci poſſe. Veterem enim *pronunciationem illam ſe cenſere, ubi* H *Græcorum ut* E *Latinorum & paulò clarius efferebatur, diphthongi ore pleno ſonabant: recentiorem, ubi* H *in* I *Diphtongi in* E, & I, & U *tranſierunt;* quam ſententiam ibidem multis argumentis adſtruere annititur.

Sed ne extra oleas vagari videar, de eo potius ero ſollicitus, an Caracalla, an vero alius *Antoninus* in hoc numiſmate ſit intelligendus? Deeſt enim *Severi* cognomentum, & facies, quam præſens nummus exhibet, primo intuitu non adeo ſimilis apparet imagini Caracallæ in antecedente Numiſmate. Sed qui recte attendit, lineamenta omnino ſimilia deprehendet, quamvis amplius ſpatium majus quoque caput repræſentet. Neque *Severi* nomine Caracalla ſemper uſus eſt, ſiquidem paſſim deprehendes Numiſmata ipſi adſcripta, in quibus nulla *Severi* ſit mentio. Memorabile inprimis eſt *Laodicenſium* maximi moduli Numiſma a *Monterbio* vulgatum & Caracallæ pariter aſſignatum, in cujus antica parte non tantum facies, huic, de qua nunc ſermo eſt, valde conformata cernitur, ſed & inſcriptio eadem nomina iisdem apicibus exprimit. *p. 56.*

Quin & ipſum *Prætoris* nomen, quod in averſa Numiſmatis noſtri parte legitur, magno eſt argumento, illud Caracalla imperante cuſum eſſe. Etenim in Nummo

Theſ. Num. p. 185. quodam *Juliæ Domnæ* a *Car. Patino* in lucem emiſſo nominatur etiam *Julius Anthimus* tanqnam *Prætor Pergamenorum* in inſcriptione circa Hygiæam & Æſculapium: ΕΠΙ ΣΤΡ. ΙΟΥΛ. ΑΝΘΙΜΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡ. Julia Domna autem fuit mater Caracallæ, eoque a Macrino interfecto ipſa quoque mortem ſibi conſcivit. *Herodianus L. 4. c. 13.* Ergo in noſtro nummo, qui ſub eodem Julio Anthimo a Pergamenis factus eſt, nullus alius Antoninus intelligi poteſt, quam qui Juliæ Domnæ ætate Imperio Romano præfuit, videlicet Caracalla.

In vita Ant. Caracall. c. 6. Peropportune ſuccurrit *Ælii Spartiani* locus: *Per Thracias cum præf. præt. iter fecit* Antoninus Caracallus. *Inde quum in Aſiam trajiceret, naufragii periculũ adiit, antemna fracta, ita ut in ſcapham cum protectoribus deſcenderet. Unde in triremem a præfecto claſſis receptus, evaſit. Excepit apros frequenter*, contra leonem etiam ſtetit: quo etiam miſſis ad amicos litteris gloriatus eſt: ſeque ad Herculis virtutem acceſſiſſe jactavit. Ex quo perſpicuum eſt & minime dubium, *Pergamenos*, Aſiaticæ urbis incolas, leonem ab Imperatore Caracalla confoſſum in hoc nummo depinxiſſe, ut gloriam fortiſſimi illius facti ad feram poſteritatis memoriam propagarent. Haud abſimilem picturam refert nummus Commodi, cujus *Harduinus* meminit; *Num. Ant. ill. p. 435.* nam & ibi *Commodus ex equo leonem confecit*, cum epigraphe, VIRTVS AVG. ex qua colligit laudatus ſcriptor, *Virtutis bellicæ in Auguſto id eſſe ſymbolum. Nic. Toinardus*, Diſſert. de Commodi Imp. ætate in nummis inſcripta p. 4. producit Numiſma, in quo *Commodus eques* itidem *Leonem jaculo petit*, idque *ab Alexandrinis percuſſum fuiſſe* cenſet *ad ſimilitudinem aliorum Latinorum Numiſmatum*, quæ *eundem typum* & inſcriptionem

VIR-

Digitized by Google

VIRTVTI AVGVSTI præferant. *Spanhemius* quoque, in Epiſtola altera ad *L. Begerum* hujus Obſ. & Conj. in Num. quædam antiqua adjecta, annotat, *ferarum id genus Venationes, tanquam præclara fortitudinis Imperatoriæ ſpecimina, in Cæſarianis nummis haud ſemel cælari:* quam in rem affert *duo præclara Numiſmata*, in quibus *Gordianus modo Leonem, modo etiam Aprum ex equo venabulo confodiens ſpectatur.*

Sed ad noſtrum Nummum regrediamur. Factus is legitur juſſu atque autoritate ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Qualis fuerit *Neocororum* titulus, & qua ratione gentes eum obtinuerint, antecedentis Nummi occaſione expoſuimus. Reliquum eſt, ut de additamentis ΤΡΙΣ & ΠΡΩΤΩΝ videamus paucis.

Non licebat Provincialium urbium civibus proprio auſu templa exſtruere, ludos edere, aut alia pro Imperatoribus ſacra publica celebrare, ſed ab Imperatore & Senatu Romano id erat impetrandum, ut vel ex illo *Xiphilini* cognoſcimus: Οἱ Νικομηδεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγειν, καὶ νεὼν τοῦ Κομμόδου ποιήσασθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβον. *Nicomedienſes impetraverant a ſenatu ut certamina celebrarent templumque Commodo facerent:* Par enim ratio fuit cæterarum civitatum Imperio Romano ſubjectarum. Unde nec ΝΕΩΚΟΡΩΝ nomen capeſſere fas erat, niſi data a Principe & Senatu licentia. Quia vero dignitas iſta ac titulus in ſummo honore erat apud populos, idcirco ſub eodem Principe bis, ter, quaterve iſta certamina ut ederent, depoſcebant, ac quoties illa gratia conceſſa fuerat, toties in Nummis (qui paſſim occurrunt) aliiſque monumentis id exprimebant, appellantes ſeſe ΔΙΣ, ΤΡΙΣ, ΤΕΤΡΑΚΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ. Nequeo mihi temperare, quo minus unum

In Epit. Dionis p. m. 281.

exem-

Digitized by Google

exemplum antiquitatis afferam, verba nimirum marmoris
Diatr. de Arundelliani a *Rubenio* & *Harduino* recitata: Καὶ ὅσα ἐπε-
urb. Neoc. τύχομεν παρὰ τοῦ κυρίου Καίσαρος Ἀδριανοῦ διʼ Ἀντωνίου Πολέ-
p. 254. μωνος, δεύτερον δόγμα Συνκλήτου, καθʼ ὃ δὶς Νεωκόροι γεγό-
Num. Ant. ναμεν &c. *Et quæ accepimus* (Smyrnæi) *a Domino Caſare*
ill. p. 2. & 3. *Hadriano per Antonium Polemonem*, alterum nempe Se-
natusconſultum, quo bis Neocori facti ſumus, &c.

Quod vero attinet ad vocabulum ΠΡΩΤΩΝ, illud
non minus in Numiſmatibus Græcis frequenter reperitur,
ac ab aliis explicatur aliter. Quidam eo denotari putant
primatum in ludis & certaminibus, qui per vices tranſibat
ad plures, & de quo vulgo inter ſe diſſidebant nobiliores
ejusdem gentis urbes, ut ex *Dione Chryſoſtomo* & *Ariſtide*
Diſſ. IX. animadvertit *Spanhemius*. Alii intelligunt *jurisdictionem*
p. 886. *in finitimas civitates, quod eo deferre cauſas hæ cogeren-*
tur, ut eo foro diſceptarent, proptereaque principatum in-
ter cæteras ſui quæque tractus obtinerent; verba ſunt *Har-*
p. 468. *duini*, in Num. Antiqu. Pop. & Urbium. PERGAME-
L. V. c. 30. NIS certe hanc prærogativam expreſſe tribuit *Plinius*:
PERGAMENA vocatur ejus tractus jurisdictio. Ad eam
conveniunt Thiatyreni, Mygdones, Moſſini, Bregmenteni,
Hieracomitæ, Perpereni, Tyareni, Hieropolenſes, Harmoto-
politæ, Attalenſes, Pantaënſes, Apollonidienſes aliæque in-
honoræ civitates.

Sequuntur

TRES NVMMI CONTOURNIATI.

Quandoquidem tres hi nummi ex cupro conſtant, ſed uniuscujus extremitatem circulus ex orichalco factus rotundo ambitu cingit, tanta latitudine, ut & litterarum & figurarum partem aliquam includat, hinc nomine ſcriptoribus rei nummariæ uſitato *Contourniatos* com-

pello

pello. Vocis hujus derivationem ad circulum ejus generis numiſmata comprehendentem, quem *contorno* Itali, *contour Galli* vocant, revocandam cenſet *Patinus.* Introd. Cap. XVIII. Et ſæpe laudatus Dn. *Wagenſeil.* l. c. c. 8. p. 36. ſuſpicatur tales nummos τὰ ΚΡΟΤΤΩΤΑ νομίσματα, q. ſ. fimbriata dicta eſſe: ex eo autem poſtea imperitiores effeciſſe Crotoniata, quod Græci vocabuli ſenſum minus haberent perſpectum. Modum conficiendi hos nummos tentavit ſupra memoratus Dn. Prof. Schmidt ſumendo nummum æreum ſ. cupreum eique more apud artifices ſolito circulum orichalceum, exactiſſime ad id adaptatum, ferruminando, & res feliciter in reliquis quoque ſucceſſit. Par ratio erit, ſi materiam permutaveris & orichalcum circumdederis æreo circulo. Ex quo ſimul judicat non flando ſed feriundo hujus generis nummos fuiſſe productos, eosque paucos, cum ſummam diligentiam deſiderent, atque hinc etiam rariores. Quo tempore & in quem finem hi nummi primum ſint percuſſi, difficile eſt affirmare. Neque tamen audiendi, qui ad Honorii ætatem Contourniatorum originem referunt. Longe antiquiores ſunt tres illi Neronis, quos in Suetonio; & duo Trajani, quos in Theſ. Num. adducit *Car. Patinus:* ſed & Excell. WEDELIUS poſſidet Nummum M. Aurelii Antonini Contourniatum, quo de nuper peculiari Epiſtola egit M. Jo. Chriſtoph. Olearius. Noſtros eorum, quos præ ſe ferunt, Imperatorum ævum attingere tum pulcherrima & valde artificioſa cælatura demonſtrat, tum ærugo viridis, qua duo poſteriores ſunt obducti: primus autem, quamvis ab illa viriditate emundatus ſit, nihilominus ejusdem veſtigia hinc inde oſtendit. Quisque horum nummorum duas circiter uncias pondere exæquat, quod ex mira eorum craſſitie oritur;

p. 302.
p. 104.

hac

Digitized by Google

hac enim ſuperant multa ex ære maximo numiſmata. Nunc ſingulorum interpretationem aggrediar, ſi verbo præmonuero, eos ob eximiam raritatem in præſtantiſſimis Gazophylacii Arnſtadio-Schvvartzburgici cimeliis numerari.

IX.

Primus Nummus Contourniatus.

IMP. CAES. M. AVREL. SEV. ALEXANDER PIVS FELIX AVG. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Severus Alexander Pius Felix Auguſtus.* Caput Alexandri Severi laureatum.

LIBERALITAS AVGVSTI II. Imperator ſedens in ſubſtructione pro congiario diſtribuendo ante eum ſtat figura muliebris, dextra teſſeram ſiniſtra cornucopiæ gerens: ab ejus tergo cernitur vir togatus & miles armatus. Scalas aſcendit alia figura ex plebe, ante ſe tenens quoddam ad recipienda dona Auguſti.

In vita Alexandri Severi, c. 4. Quem *corporis venuſtate decorum in picturis & ſtatuis* ſuo tempore admiratus eſt *Ælius Lampridius*, Alexandrum nempe Severum, ejus vultus ſtupendo artificio expreſſus in noſtro nummo hodieque eminet. Is interfecto *Eutropius, L. VIII.* Heliogabalo accepit Imperium, optimus cum vera dicendus aſſertione, & annorum tredecim Princeps. ALE- *cap. V ſeqq.* XANDRI nomen, *Lampridio* teſte, accepit, quod in templo dicato, apud Arcenam urbem, Alexandro Magno, natus eſſet. Delatum ſibi *Antonini* nomen a ſenatu recuſavit, ſed *Imperatorem, Cæſarem, Aurelinm, Alexandrnm, Auguſtum* vocari ſe a Senatu in acclamationibus paſſus eſt. *cap. XII.* Ob ingentem vigorem animi & mirandam conſtantiam contra militum inſolentiam, *Severi* nomen a militibus eidem inditum eſt. Erat præterea omnibus hominibus ama-

amabilis, & ab aliis PIVS appellabatur, ab omnibus certè ſanctus & utilis Rei publicæ. Huc quoque *Eutropius: matrem ſuam Mammæam unice PIVS.* Primus Cæſarum PIVM FELICEM conjunctim in Nummis ſe inſcripſit Commodus, obſervante *Harduino.* Ab eo verò, & præcipue poſt mortem Severi ac Caracallæ, mos ille apud omnes fere Imperatores obtinuit, quem præſens & ſubſequentia tria Numiſmata præ ſe ferunt, atque apud *Mediobarbum* plura. *Cap. IV. In L. VIII.* *P. 347.*

Averſæ partis Inſcriptio LIBERALITATEM AVGVSTI Alexandri *Secundam* oſtendit, aliis quoque Numiſmatibus apud *Triſtanum* & *Spanhemium*, non vero Contournitatis, expreſſam. Deſignat autem Congiarium, quod ſæpius dare populo Romano conſveverant Imperatores, ſecunda vice diſtributum ab Alexandro Severo. *Congiarium populo ter dedit, donativum militibus ter: carnem populo addidit*, inquit *Lampridius*, iisque verbis hujus Imperatoris Liberalitatem celebrat. Solennitatem vero lagitionis ſecundæ publicæ inſigni typo proponit noſter nummus. Sedet Alexander Severus in ſella curuli ſuper ſuggeſtum elevatum, qualis obſervatur in nummis ante & poſt ejus ætatem *Liberalitatem Auguſtorum* exhibentibus. Ante illum ſuggeſtum gradus ſunt erecti, per quos aſcendebat unus poſt alterum, atque accipiebant ibi ſinguli, quantum ipſis erat deſtinatum, itaque & hoc loco unus tantum in gradibus illis apparet. Præcipuam vero inſcriptionis rationem ſuppeditat figura illa muliebris teſſeram frumentariam manu dextra geſtans, ſiniſtra cornucopiæ: per eam enim, tanquam Deæ *Liberalitatis* typum, largitiones Imperatorum ſæpe ſignificantur in nummis apud *Patinum*, *Oiſelium*, &c. Ac *Antonius Auguſti-*

T. 2. p. 395. *Diſſ. IX. p. 520.* *In Alex. Severo, cap. XXVI.* *Num. Impp. p. 346 426.* *Theſ. Num. p. 391. ſeqq.*

Digitized by Google

guſtinus Dial. II. hanc figuram accipit pro lignea *Liberalitatis* ſtatua, quam eo die (quo diſtribuebant congiarium) ſpectandam proponebant. Cornucopiæ Abundantiæ ſignum eſſe circa Nummum II. aureum annotavimus, hinc Liberalitati quoq; tribuebatur, quippe quæ copioſe & abundanter agere deberet. Illud, quod manu dextra tenet, ac tabellam quadratam referre videtur, teſſeram aut congium vocare ſolent Antiquarii, Menſuræ genus, qua frumentum admetiebatur, intelligentes. Vid. *Oiſelius* Theſ. Num. p. 392. ſeqq. *Spanhemius* Diſſ. IX. p. 820. ſeqq.

X.

Secundus Nummus Contourniatus.

IMP. GORDIANVS PIVS FELIX AVG. Caput Gordiani tertii laureatum.

ADLOCVTIO AVGVSTI. Imperator ſtans in ſuggeſtu, cum alia figura militari, alloquitur milites, ſua ſigna clypeosque tenentes.

T. 1. p. 154. Si nummus ſimilis æreus *Theſauri Regis Chriſtianiſſimi*, teſte *Jo. Vaillant*, *præſtantiſſimus & rariſſimus* eſt, hic certe non minorem habebit raritatis gradum, qui cuprum orichalco cinctum pro materia agnoſcit, atque hoc nomine nondum prodiit. Tanta autem obductus eſt ærugine, ut utrumque metallum non niſi per intervalla diſtingui queat.

Gordiani tertii effigies ex collatione aliorum nummorum cognoſcitur, quem alii ex filio, alii ex filia *J. Capitolino in Gord. c. 22.* Gordiani Africani Senioris natum aſſerunt. Cum enim exſtinctis Maximinis, Maximus etiam & Balbinus militari ſeditione interempti eſſent, qui biennio imperaverant,

Gor-

Gordianus Adoleſcens, qui Cæſar eatenus fuerat *à militibus* & populo & Senatu & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti ſtudio & gratia, AVGVSTVS eſt appellatus.

Memoriam ADLOCVTIONIS AVGVSTI, ſive Concionis alicujus militaris a *Gordiano* habitæ, conſervavit in averſa parte præclarum hoc Numiſma. Referenda erit hæc *Adlocutio* vel ad initium Principatus Gordiani, ſicuti *Commodus* alloquebatur milites cum ad Imperium perveniſſet, apud *Herodianum* L. 1. c. 5. Vel, quod magis videtur veriſimile, ad Victorias, quas a Perſis reportaverat Gordianus, his verbis *a Julio Capitolino enarratas:* *cap. 26.* *Gordianus aperto Jano gemino (quod ſignum erat indicti belli) profectus eſt contra Perſas cum exercitu ingenti & tanto auro, ut vel auxiliis vel militibus facile Perſas vincere poſſet. Fecit iter in Mœſiam, atque in ipſo procinctu quidquid hoſtium in Thracia fuit, delevit, fugavit, expulit, atque ſubmovit. Inde per Syriam frequentibus præliis pugnavit & vicit, Sapore Perſarum Rege ſubmoto.* Laudavit fortaſſis Gordianus militum fortitudinem in iſta Adlocutione, aut ipſos ad fortiter agendum ante prælium exhortatus eſt.

Stat igitur, ſolito more, in ſuggeſtu, ſtipatus Prætorianorum Præfecto *Miſitheo*, *ſocero* ſuo, *per quem omnia geſta ſunt*, teſte *Capitolino*. Suggeſtus ille vocabatur *tribunal*, ſi *Plinio* atque *Tacito* fides, atque *ex viridi ceſpite exſtruebatur.* *c. 27.* *Paneg. p. 51.* *1. Ann. c. 13.* Patulas Imperatori aures præbent infra ſtantes milites, quorum tres ſunt, (plures enim nummus non capiebat) & tria etiam gerunt ſigna militaria, triplici modo confecta. Illud, in quo ſummæ haſtæ inſiſtit aquila, Legionis totius ſignum fuit, & quoniam in plures cohortes legio dividebatur, prima ſuſcepit aquilam. In clypeolis,

Digitized by Google

qui haſtam tegunt, cernebantur Deorum, Imperatorum, aut etiam virorum Principum imagines, quas tanquam divinas ſinguli milites venerabantur. Alterum ſignum ejusmodi clypeolos tantum continebat, & ad reliquas Legionum cohortes pertinebat. Tertium, in quo velum e transverſo ligno pendet, vexillum proprie dicebatur, & ab equitibus plurimum adhibebatur. Quæ hactenus de ſignis militaribus attulimus, pluribus deducit & auctorum teſtimoniis roborat *Seguinus*, Select. Num. p. 120. ſeqq. De ADLOCVTIONE AVGVSTORVM videri quoque poterunt *Spanhemius*, p. 840. ſeqq. & *Oiſelius*, p. 447. ſeqq.

XI.

Nummus Tertius Contourniatus.

IMP. C. M. CAS. LATI. POSTVMVS. P. F. AVG. *Imperator Cæſar Marcus Caſſius Latienus Poſtumus Pius Felix Auguſtus.* Capita Poſtumorum patris & filii laureata.

HERCVLI COMITI AVG*uſti.* COS. III. Poſtumus habitu ſacrificantis togatus & velatus ſuper aram accenſam paterâ ſacrificans Herculi, a cujus latere ſtat popa, taurum tenens, qui in Ectypo non eſt expreſſus ob æruginem, qua obducitur, ut difficillime cognoſcatur.

Non duplex tantum materia & duo capita juncta, ſed etiam averſæ partis Inſcriptio atque typus Nummum hunc maxime rarum & quantivis pretii reddunt: nam apud nullum ſcriptorem ejus ulla fit mentio.

Capita *Poſtumorum* etiam in aliis Nummis ita conjunguntur apud *Triſtanum* atque *Oiſelium*, ſemper vero *Poſtu-*

Digitized by Google

Poſtumi Patris tantum nomina & tituli adſcribuntur,quem a Gallis *Imperatorem* contra Gallienum appellatum fuiſſe *Treb. Pollio* ſcribit. Idem de *Poſtumo juniore : Hic a patre appellatus eſt Cæſar, ac deinceps in ejus honore Auguſtus.* *De Poſtumio, p. m. 493.*

In parte poſteriore etiam Poſtumum patrem tantum ſpectari ex Inſcriptione eluceſcit, quæ unum tantum AVG*uſtum* commemorat. Ad illuſtrationem ejus accipe, quæ *Trebellius* refert : *Nimius amor erga Poſtumium* (rectius dixiſſet *Poſtumum*) *omnium erat in Gallica gente populorum ſub motis omnibus Germanicis gentile Romanum in priſtinam ſecuritatem revocaſſet imperium.* Hic igitur Poſtumus HERCVLI, Deo ſuo tutelari, ſacrificat, & eo cultu gratias agit, quod ſibi adeſſe, & tanquam COMES fortiſſimus hoſtes ſuos, Germanos ſecum voluerit comprimere.

HERCVLES adſtat nudus, & barbatus, dextra clavam, ſiniſtra exuvias leonis tenens, quæ ejus ſunt inſignia. De iis *Diodorus Siculus : Ad eundem modum clava & leonis exuviæ Herculi antiquo congruunt, quia nondum inventis illo tempore armis, homines ſecum congreſſos lignis repellebant, & belluarum coriis pro tegumentis utebantur.* Alii interemti ab Hercule leonis ſpolia eſſe iſtas exuvias narrant. Hunc Deum ſingulariter a Poſtumo cultum eſſe teſtantur nummi ejus Imperatoris quamplurimi apud *Patinum*, *Jo. Vaillant*, & *Mediobarbum*, Herculis ſimulacrum exhibentes atque inſcripti: HERCVLI DEVSONIENSI, ROMANO, IMMORTALI, INVICTO, LIBYCO &c. quamquam & ipſum Poſtumum Herculi quandoque comparabant Galli, tanquam *virum in bello fortiſſimum, in pace* *Hiſt. l. 1. p. 14.*

Digitized by Google

Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντονεῖνος. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum cum pectore armato.

ΕΠΙ. CΤΡ. ΙΟVΛ. ΑΝΘΙΜΟΥ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Prætore Julio Anthimo Pergamenorum primorum ter Neocororum.* Imperator paludatus eques dextram elevans, ſiniſtra Leonem confodiens.

Nummus hic ex orichalco factus, & uncialis eſt, nec dum, quod ſciam, ab Antiquariis prolatus. Ne autem alicui mirum videatur, quod Latina littera V in utraque Numiſmatis parte Græcis eſt admixta, ſciendum, idem in aliis id genus monumentis ab Ill. *Spanhemio* obſervatum fuiſſe. *Certe*, inquit laudatus vir, Diſſ. II. p. 59., *Latinorum V pro Græcorum ὑψιλὸν in recentioribus Græcorum nummis paſſim receptum videas, ſignatis ætate Alexandri Severi, Philipporum & ſequentium.* Et jam Hadriani ævo has corruptelas irrepſiſſe docet *Jo. Tob. Major* ex *Nummo Hadrianeo cum inſcriptione*, ΔΙVΟC ΑΝΤΙΝΟΟC, *in honorem turpiſſimi juvenis Antinoi ab Imperatore publico uſui dato, ac apud Cuperum in Explic. Num. Ant. p. 243. depicto.* Quibus ex *Monterchio* addere liceat unum Severi & tria Caracallæ Numiſmata, quæ idem Vau Latinorum in vocibus CΕΟVΗΡΟC & ΑVΡ. exhibent.

in Epiſt. de Nummis Græce inſcriptis p. 39.

p. 44. 48. 56. & 64.

Porro hîc ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC legitur, cum in antecedente Nummo ſcriptum ſit ΑΝΤΩΝΙΝΟC, quod etiam in aliis Caracallæ & reliquorum Antoninorum nummis apud *Triſtanum* atque *Monterchium* notatur, indeque factum *Sperlingio* videtur, *quod eadem ſit utriusque pronuntiatio, alia ſolum ſcriptio*, id quod variis exemplis ex antiquitate petitis manifeſtum reddit, ac inter alia monet, *jam tempore Hadriani, & prius, iſtam pronunciationem, ubi* Η

De Num. Furiæ Sab. p. 39. ſeqq.

&

& EI tanquam I Latinum efferuntur, apud aliquas nationes Græcorum invaluiſſe, haud tamen apud omnes, & inſtar Dialecti peculiaris obſervatum hoc eſſe, quod ex nummis non ſolum pateat, quorum ingentem numerum proferre poſſet, præter illa, quæ ſpeciminis loco dederit, verum etiam qui populi & quæ civitates hac pronunciatione ſint uſæ, vel ſecus, ex iisdem nummorum inſcriptionibus Græcis optime deduci poſſe. Veterem enim *pronunciationem illam ſe cenſere, ubi* H *Græcorum ut* E *Latinorum & paulò clarius efferebatur, diphthongi ore pleno ſonabant: recentiorem, ubi* H *in* I *Diphtongi in* E, & I, & U *tranſierunt;* quam ſententiam ibidem multis argumentis adſtruere annititur.

Sed ne extra oleas vagari videar, de eo potius ero ſollicitus, an Caracalla, an vero alius *Antoninus* in hoc numiſmate ſit intelligendus? Deeſt enim *Severi* cognomentum, & facies, quam præſens nummus exhibet, primo intuitu non adeo ſimilis apparet imagini Caracallæ in antecedente Numiſmate. Sed qui recte attendit, lineamenta omnino ſimilia deprehendet, quamvis amplius ſpatium majus quoque caput repræſentet. Neque *Severi* nomine Caracalla ſemper uſus eſt, ſiquidem paſſim deprehendes Numiſmata ipſi adſcripta, in quibus nulla *Severi* fit mentio. Memorabile inprimis eſt *Laodicenſium* maximi moduli Numiſma a *Monterchio* vulgatum & Caracallæ pariter aſſignatum, in cujus antica parte non tantum facies, huic, de qua nunc ſermo eſt, valde conformata cernitur, ſed & inſcriptio eadem nomina iisdem apicibus exprimit. *p. 56.*

Quin & ipſum *Prætoris* nomen, quod in averſa Numiſmatis noſtri parte legitur, magno eſt argumento, illud Caracalla imperante cuſum eſſe. Etenim in Nummo

Digitized by Google

Theſ. Num. p. 185. quodam *Juliæ Domnæ* a *Car. Patino* in lucem emiſſo nominatur etiam *Julius Anthimus* tanqnam *Prætor Pergamenorum* in inſcriptione circa Hygiæam & Æſculapium: ΕΠΙ СΤΡ. ΙΟΥΛ. ΑΝΘΙΜΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΤΡΙС ΝΕΩΚΟΡ. Julia Domna autem fuit mater Caracallæ, eoque a Macrino interfecto ipſa quoque mortem ſibi conſcivit. *Herodianus L. 4. c. 13.* Ergo in noſtro nummo, qui ſub eodem Julio Anthimo a Pergamenis factus eſt, nullus alius Antoninus intelligi poteſt, quam qui Juliæ Domnæ ætate Imperio Romano præfuit, videlicet Caracalla.

In vita Ant. Caracall. c. 6. Peropportune ſuccurrit *Ælii Spartiani* locus: *Per Thracias cum præf. præt. iter fecit* Antoninus Caracallus. *Inde quum in Aſiam trajiceret, naufragii periculū adiit, antemna fracta, ita ut in ſcapham cum protectoribus deſcenderet. Unde in triremem a præfecto claſſis receptus, evaſit. Excepit apros frequenter*, contra leonem etiam ſtetit: quo etiam miſſis ad amicos litteris gloriatus eſt: ſeque ad Herculis virtutem acceſſiſſe jactavit. Ex quo perſpicuum eſt & minime dubium, *Pergamenos*, Aſiaticæ urbis incolas, leonem ab Imperatore Caracalla confoſſum in hoc nummo depinxiſſe, ut gloriam fortiſſimi illius facti ad ſeram poſteritatis memoriam propagarent. Haud abſimilem picturam refert nummus Commodi, cujus *Harduinus* meminit; *Num. Ant. ill. p. 435.* nam & ibi *Commodus ex equo leonem confecit*, cum epigraphe, VIRTUS AVG. ex qua colligit laudatus ſcriptor, *Virtutis bellicæ in Auguſto id eſſe ſymbolum. Nic. Toinardus*, Differt. de Commodi Imp. ætate in nummis inſcripta p. 4. producit Numiſma, in quo *Commodus eques* itidem *Leonem jaculo petit*, idque *ab Alexandrinis percuſſum fuiſſe* cenſet *ad ſimilitudinem aliorum Latinorum Numiſmatum*, quæ *eundem typum* & inſcriptionem

VIR-

VIRTVTI AVGVSTI præferant. *Spanhemius* quoque, in Epiſtola altera ad *L. Begerum* hujus Obſ. & Conj. in Num. quædam antiqua adjecta, annotat, *ferarum id genus Venationes, tanquam præclara fortitudinis Imperatoriæ ſpecimina, in Cæſarianis nummis haud ſemel cælari:* quam in rem affert *duo præclara Numiſmata*, in quibus *Gordianus modo Leonem, modo etiam Aprum ex equo venabulo confodiens ſpectatur.*

Sed ad noſtrum Nummum regrediamur. Factus is legitur juſſu atque autoritate ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Qualis fuerit *Neocororum* titulus, & qua ratione gentes eum obtinuerint, antecedentis Nummi occaſione expoſuimus. Reliquum eſt, ut de additamentis ΤΡΙC & ΠΡΩΤΩΝ videamus paucis.

Non licebat Provincialium urbium civibus proprio auſu templa exſtruere, ludos edere, aut alia pro Imperatoribus ſacra publica celebrare, ſed ab Imperatore & Senatu Romano id erat impetrandum, ut vel ex illo *Xiphilini* cognoſcimus: Οἱ Νικομηδεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγειν, καὶ νεὼν τοῦ Κομμόδου ποιήσασθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβον. *Nicomedienſes impetraverant a ſenatu ut certamina celebrarent templumque Commodo facerent:* Par enim ratio fuit cæterarum civitatum Imperio Romano ſubjectarum. Unde nec ΝΕΩΚΟΡΩΝ nomen capeſſere fas erat, niſi data a Principe & Senatu licentia. Quia vero dignitas iſta ac titulus in ſummo honore erat apud populos, idcirco ſub eodem Principe bis, ter, quaterve iſta certamina ut ederent, depoſcebant, ac quoties illa gratia conceſſa fuerat, toties in Nummis (qui paſſim occurrunt) aliisque monumentis id exprimebant, appellantes ſeſe ΔΙC, ΤΡΙC, ΤΕΤΡΑΚΙC ΝΕΩΚΟΡΟΥC. Nequeo mihi temperare, quo minus unum

In Epit. Dionis p. m. 281.

Digitized by Google

exemplum antiquitatis afferam, verba nimirum marmoris
Diatr. de Arundelliani a *Rubenio* & *Harduino* recitata: Καὶ ὅσα ἐπε-
urb. Neoc. τύχομεν παρὰ τοῦ κυρίου Καίσαρος Ἀδριανοῦ διʼ Ἀντωνίου Πολέ-
p. 254. μωνος, δεύτερον δόγμα Συγκλήτου, καθʼ ὃ δὶς Νεωκόροι γεγό-
Num. Ant. ναμεν &c. *Et quæ accepimus* (Smyrnæi) *a Domino Cæſare*
ill. p. 2. & 3. *Hadriano per Antonium Polemonem*, alterum nempe Senatusconſultum, quo bis Neocori facti ſumus, &c.

Quod vero attinet ad vocabulum ΠΡΩΤΩΝ, illud non minus in Numiſmatibus Græcis frequenter reperitur, ac ab aliis explicatur aliter. Quidam eo denotari putant *primatum in ludis & certaminibus, qui per vices tranſibat ad plures, & de quo vulgo inter ſe diſſidebant nobiliores ejuſdem gentis urbes*, ut ex *Dione Chryſoſtomo* & *Ariſtide*
Diſſ. IX. animadvertit *Spanhemius*. Alii intelligunt *jurisdictionem*
p. 886. *in finitimas civitates, quod eo deferre cauſas hæ cogerentur, ut eo foro diſceptarent, proptereaque principatum inter ceteras ſui quæq; tractus obtinerent*; verba ſunt *Har-*
p. 468. *duini*, in Num. Antiqu. Pop. & Urbium. PERGAME-
L. V. c. 30. NIS certe hanc prærogativam expreſſe tribuit *Plinius*: *PERGAMENA vocatur ejus tractus jurisdictio. Ad eam conveniunt Thiatyreni, Mygdones, Moſſini, Bregmenteni, Hieracomitæ, Perpereni, Tyareni, Hieropolenſes, Harmotopolitæ, Attalenſes, Pantaënſes, Apollonidienſes aliæque inhonoræ civitates.*

Sequuntur

TRES NVMMI CONTOURNIATI.

Quandoquidem tres hi nummi ex cupro conſtant, ſed uniuscujus extremitatem circulus ex orichalco factus rotundo ambitu cingit, tanta latitudine, ut & litterarum & figurarum partem aliquam includat, hinc nomine ſcriptoribus rei nummariæ uſitato *Contourniatos* com-

pello. Vocis hujus derivationem ad circulum ejus generis numiſmata comprehendentem, quem *contorno* Itali, *contour Galli* vocant, revocandam cenſet *Patinus.* Introd. Cap. XVIII. Et ſæpe laudatus Dn. *Wagenſeil.* l. c. c. 8. p. 36. ſuſpicatur tales nummos τὰ ΚΡΟΤΤΩΤΑ *νομίσματα*, q.ſ. fimbriata dicta eſſe: ex eo autem poſtea imperitiores effeciſſe Crotoniata, quod Græci vocabuli ſenſum minus haberent perſpectum. Modum conficiendi hos nummos tentavit ſupra memoratus Dn. Prof. Schmidt ſumendo nummum æreum ſ. cupreum eique more apud artifices ſolito circulum orichalceum, exactiſſime ad id adaptatum, ferruminando, & res feliciter in reliquis quoque ſucceſſit. Par ratio erit, ſi materiam permutaveris & orichalcum circumdederis æreo circulo. Ex quo ſimul judicat non flando ſed feriundo hujus generis nummos fuiſſe productos, eosque paucos, cum ſummam diligentiam deſiderent, atque hinc etiam rariores. Quo tempore & in quem finem hi nummi primum ſint percuſſi, difficile eſt affirmare. Neque tamen audiendi, qui ad Honorii ætatem Contourniatorum originem referunt. Longe antiquiores ſunt tres illi Neronis, quos in Suetonio; & duo Trajani, quos in Theſ. Num. adducit *Car. Patinus*: ſed & Excell. WEDELIUS poſſidet Nummum M. Aurelii Antonini Contourniatum, quo de nuper peculiari Epiſtola egit M. Jo. Chriſtoph. Olearius. Noſtros eorum, quos præ ſe ferunt, Imperatorum ævum attingere tum pulcherrima & valde artificioſa cælatura demonſtrat, tum ærugo viridis, qua duo poſteriores ſunt obducti: primus autem, quamvis ab illa viriditate emundatus ſit, nihilominus ejusdem veſtigia hinc inde oſtendit. Quisque horum nummorum duas circiter uncias pondere exæquat, quod ex mira eorum craſſitie oritur;

p. 303.

p. 104.

hac

Digitized by Google

hac enim ſuperant multa ex ære maximo numiſmata. Nunc ſingulorum interpretationem aggrediar, ſi verbo præmonuero, eos ob eximiam raritatem in præſtantiſſimis Gazophylacii Arnſtadio-Schvvartzburgici cimeliis numerari.

IX.

Primus Nummus Contourniatus.

IMP. CAES. M. AVREL. SEV. ALEXANDER PIVS FELIX AVG. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Severus Alexander Pius Felix Auguſtus.* Caput Alexandri Severi laureatum.

LIBERALITAS AVGVSTI II. Imperator ſedens in ſubſtructione pro congiario diſtribuendo ante eum ſtat figura muliebris, dextra teſſeram ſiniſtra cornucopiæ gerens: ab ejus tergo cernitur vir togatus & miles armatus. Scalas aſcendit alia figura ex plebe, ante ſe tenens quoddam ad recipienda dona Auguſti.

In vita Alexandri Severi, c. 4. Quem *corporis venuſtate decorum in picturis & ſtatuis* ſuo tempore admiratus eſt *Ælius Lampridius*, Alexandrum nempe Severum, ejus vultus ſtupendo artificio expreſſus in noſtro nummo hodieque eminet. Is interfecto *Eutropius, L. VIII.* Heliogabalo accepit Imperium, optimus cum vera dicendus aſſertione, & annorum tredecim Princeps. ALE- *cap. V. ſeqq.* XANDRI nomen, *Lampridio* teſte, accepit, quod in templo dicato, apud Arcenam urbem, Alexandro Magno, natus eſſet. Delatum ſibi *Antonini* nomen a ſenatu recuſavit, ſed *Imperatorem, Cæſarem, Aurelium, Alexandrum, Auguſtum* vocari ſe a Senatu in acclamationibus paſſus eſt. *cap. XII.* Ob ingentem vigorem animi & mirandam conſtantiam contra militum inſolentiam, *Severi* nomen a militibus eidem inditum eſt. Erat præterea omnibus hominibus ama-

amabilis, & ab aliis PIVS appellabatur, ab omnibus certè ſanctus & utilis Rei publicæ. Huc quoque *Eutropius*: *In matrem ſuam Mammæam unice PIVS.* Primus Cæſarum PIVM FELICEM conjunctim in Nummis ſe inſcripſit Commodus, obſervante *Harduino.* Ab eo verò, & præcipue poſt mortem Severi ac Caracallæ, mos ille apud omnes fere Imperatores obtinuit, quem præſens & ſubſequentia tria Numiſmata præ ſe ferunt, atque apud *Mediobarbum* plura. *Cap. IV. In L. VIII.* *P. 347.*

Averſæ partis Inſcriptio LIBERALITATEM AVGVSTI Alexandri *Secundam* oſtendit, aliis quoque Numiſmatibus apud *Triſtanum* & *Spanhemium*, non vero Contournitatis, expreſſam. Deſignat autem Congiarium, quod ſæpius dare populo Romano conſveverant Imperatores, ſecunda vice diſtributum ab Alexandro Severo. *Congiarium populo ter dedit, donativum militibus ter: carnem populo addidit*, inquit *Lampridius*, iiſque verbis hujus Imperatoris Liberalitatem celebrat. Solennitatem vero lagitionis ſecundæ publicæ inſigni typo proponit noſter nummus. Sedet Alexander Severus in ſella curuli ſuper ſuggeſtum elevatum, qualis obſervatur in nummis ante & poſt ejus ætatem *Liberalitatem Auguſtorum* exhibentibus. Ante illum ſuggeſtum gradus ſunt erecti, per quos aſcendebat unus poſt alterum, atque accipiebant ibi ſinguli, quantum ipſis erat deſtinatum, itaque & hoc loco unus tantum in gradibus illis apparet. Præcipuam vero inſcriptionis rationem ſuppeditat figura illa muliebris teſſeram frumentariam manu dextra geſtans, ſiniſtra cornucopiæ: per eam enim, tanquam Deæ *Liberalitatis* typum, largitiones Imperatorum ſæpe ſignificantur in nummis apud *Patinum*, *Oiſelium*, &c. Ac *Antonius Auguſti-* *T. 2. p. 395. Diſſ. IX. P. 820.* *In Alex. Severo, cap. XXVI.* *Num. Impp. P. 346 426. Theſ. Num. P. 391. ſeqq.*

guſtinus Dial. II. hanc figuram accipit pro lignea *Liberalitatis* ſtatua, quam eo die (quo diſtribuebant congiarium) ſpectandam proponebant. Cornucopiæ Abundantiæ ſignum eſſe circa Nummum II. aureum annotavimus, hinc Liberalitati quoq; tribuebatur, quippe quæ copioſe & abundanter agere deberet. Illud, quod manu dextra tenet, ac tabellam quadratam referre videtur, teſſeram aut congium vocare ſolent Antiquarii, Menſuræ genus, qua frumentum admetiebatur, intelligentes. Vid. *Oiſelius* Theſ. Num. p. 392. ſeqq. *Spanhemius* Diſſ. IX. p. 820. ſeqq.

X.

Secundus Nummus Contourniatus.

IMP. GORDIANVS PIVS FELIX AVG. Caput Gordiani tertii laureatum.

ADLOCVTIO AVGVSTI. Imperator ſtans in ſuggeſtu, cum alia figura militari, alloquitur milites, ſua ſigna clypeosque tenentes.

T. I. p. 154. Si nummus ſimilis æreus *Theſauri Regis Chriſtianiſſimi*, teſte *Jo. Vaillant*, *praſtantiſſimus & rariſſimus* eſt, hic certe non minorem habebit raritatis gradum, qui cuprum orichalco cinctum pro materia agnoſcit, atque hoc nomine nondum prodiit. Tanta autem obductus eſt ærugine, ut utrumque metallum non niſi per intervalla diſtingui queat.

Gordiani tertii effigies ex collatione aliorum nummorum cognoſcitur, quem alii ex filio, alii ex filia Gordiani Africani Senioris natum aſſerunt. Cum enim exſtinctis Maximinis, Maximus etiam & Balbinus militari ſeditione interempti eſſent, qui biennio imperaverant, *J. Capitolino in Gord. c. 22.*

Gor-

Gordianus Adoleſcens, qui Cæſar eatenus fuerat *à militibus* & populo & Senatu & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti ſtudio & gratia, AVGVSTVS eſt appellatus.

Memoriam ADLOCVTIONIS AVGVSTI, ſive Concionis alicujus militaris a *Gordiano* habitæ, conſervavit in averſa parte præclarum hoc Numiſma. Referenda erit hæc *Adlocutio* vel ad initium Principatus Gordiani, ſicuti *Commodus* alloquebatur milites cum ad Imperium perveniſſet, apud *Herodianum* L. 1. c. 5. Vel, quod magis videtur veriſimile, ad Victorias, quas a Perſis reportaverat Gordianus, his verbis *a Julio Capitolino enarratas:* *cap. 26.* *Gordianus aperto Jano gemino (quod ſignum erat indicti belli) profectus eſt contra Perſas cum exercitu ingenti & tanto auro, ut vel auxiliis vel militibus facile Perſas vincere poſſet. Fecit iter in Mœſiam, atque in ipſo procinctu quidquid hoſtium in Thracia fuit, delevit, fugavit, expulit, atque ſubmovit. Inde per Syriam frequentibus præliis pugnavit & vicit, Sapore Perſarum Rege ſubmoto.* Laudavit fortaſſis Gordianus militum fortitudinem in iſta Adlocutione, aut ipſos ad fortiter agendum ante prælium exhortatus eſt.

Stat igitur, ſolito more, in ſuggeſtu, ſtipatus Prætorianorum Præfecto *Miſitheo*, *ſocero* ſuo, *per quem omnia geſta ſunt*, teſte *Capitolino*. Suggeſtus ille vocabatur *tribunal*, ſi *Plinio* atque *Tacito* fides, atque *ex viridi ceſpite exſtruebatur.* *c. 27.* *Paneg. p. 51.* *1. Ann. c. 13.* Patulas Imperatori aures præbent infra ſtantes milites, quorum tres ſunt, (plures enim nummus non capiebat) & tria etiam gerunt ſigna militaria, triplici modo confecta. Illud, in quo ſummæ haſtæ inſiſtit aquila, Legionis totius ſignum fuit, & quoniam in plures cohortes legio dividebatur, prima ſuſcepit aquilam. In clypeolis,

 qui

Poſtumi Patris tantum nomina & tituli adſcribuntur, quem a Gallis *Imperatorem* contra Gallienum appellatum fuiſſe *Treb. Pollio* ſcribit. Idem de *Poſtumo juniore*: *Hic a patre appellatus eſt Caſar, ac deinceps in ejus honore Auguſtus.* *De Poſtumio, p. m. 493.*

In parte poſteriore etiam Poſtumum patrem tantum ſpectari ex Inſcriptione eluceſcit, quæ unum tantum AVG*uſtum* commemorat. Ad illuſtrationem ejus accipe, quæ *Trebellius* refert: *Nimius amor erga Poſtumium* (rectius dixiſſet *Poſtumum*) *omnium erat in Gallica gente populorum ſub motis omnibus Germanicis gentile Romanum in priſtinam ſecuritatem revocaſſet imperium.* Hic igitur Poſtumus HERCVLI, Deo ſuo tutelari, ſacrificat, & eo cultu gratias agit, quod ſibi adeſſe, & tanquam COMES fortiſſimus hoſtes ſuos, Germanos ſecum voluerit comprimere.

HERCVLES adſtat nudus, & barbatus, dextra clavam, ſiniſtra exuvias leonis tenens, quæ ejus ſunt inſignia. De iis *Diodorus Siculus*: *Ad eundem modum clava & leonis exuviæ Herculi antiquo congruunt, quia nondum inventis illo tempore armis, homines ſecum congreſſos lignis repellebant, & belluarum coriis pro tegumentis utebantur.* Alii interemti ab Hercule leonis ſpolia eſſe iſtas exuvias narrant. Hunc Deum ſingulariter a Poſtumo cultum eſſe teſtantur nummi ejus Imperatoris quamplurimi apud *Patinum*, *Jo. Vaillant*, & *Mediobarbum*, Herculis ſimulacrum exhibentes atque inſcripti: HERCVLI DEVSONIENSI, ROMANO, IMMORTALI, INVICTO, LIBYCO &c. quamquam & ipſum Poſtumum Herculi quandoque comparabant Galli, tanquam *virum in bello fortiſſimum, in pace* *Hiſt. l. 1. p. 14.*

conſtantiſſimum, in omni vita gravem, quibus elogiis eum proſequitur *Trebellius.*

Illud doleo, quod taurus, quem popa tenet, in delineatione hujus nummi ob prædictam cauſam eſt omiſſus: Annoto tamen ex *Roſini Antiquitatibus*, Popas miniſtros ſacrorum fuiſſe, qui hoſtias & victimas ligabant, & laureati ſuccinctique, atque ad ilia usque nudi, & eas ante aras deductas feriebant. Hoc oſtendit ex *Suetonio* in Caligula: *Admota altaribus victima ſuccinctas poparum habitu cultrarium mactavit.* Et ex *Spartiano* in vita Getæ: *Percuſſit hoſtiam popa.* Tales *popas* victimas, tauros aut boves, tenentes apud *Oiſelium* Tab. XCIX n. 11. 12. & CVII. n. 2. item apud *Patinum* Theſ. p. 114. depictos reperies.

L. III. c. 31.

Conſulatus Poſtumi *tertius* juxta *Occonis* calculum, incidit in A. C. 263. & 264.

XII.

IMP. C. PROBVS INVIC. P. F. AVG. *Imperator Cæſar Probus Invictus Pius Felix Auguſtus.* Caput Probi laureatum cum pectore armato & paludato, manu dextra brevem tenet haſtam, ſiniſtra clypeum: Ei junctum eſt caput uxoris.

MONETA AVG*uſti.* Tres Monetæ.

Uncialis eſt hic Nummus, ex cupro, & exquiſitiſſimæ raritatis. Antica quidem ejus pars ſimilis eſt ei, quam habet Ill. *Spanhemius*, Diſſ. VII. p. 637. cum ſequenti nota: *PROBI etiam Uxorem aliunde ignotam Strada jam olim ex nummo argenteo protulit, in quo conjuncta Probi & conjugis capita, præterito tamen hujus nomine. Talem æreum maximum exquiſitæ raritatis notavi aliquando in Mu-*

Muſeo Auguſtæ Reginæ, cujus ectypum inde depromptum juvabit hiſ quoque divulgare: hoc tamen obſervo diſcrimen, quod ibi Probus eſt imberbis, in noſtro barbatus, nec ibi addita eſt altera pars Numiſmatis.

PROBVS tantus fuit in re militari, ut illum ſenatus optaret, miles eligeret, ipſe populus Romanus acclamationibus peteret contra Florianum, qui poſt fratrem Tacitum arripuit Imperium, ſed a militibus interfectus eſt. De vita & geſtis Probi peculiariter egit *Flavius Vopiſcus*, eumque cum optimis Romanæ Reip. Principibus comparavit. Titulos itaque meruit ampliſſimos, quorum plerique Senatus acclamatione ipſi ſunt collati. *Fl. Vopiſcus, in Floriano, c. 1.*

Magnum INVICTI cognomen ex eo tulit, quod VICTOR fuit OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM, prout legitur in ſæpius decantata Inſcriptione, quam *Flavius Vopiſcus* cap. XXI. protulit, ſiquidem juxta eundem *Vopiſcum, Probi Imperio Oriens*, Occidens, Meridies, Septemtrio, omnesque orbis partes in totam ſecuritatem redactæ ſunt.

Uxorem Probi *Strada* vocat JVLIAM PROCLAM, ſed hic neceſſe habeo cum *Spanhemio* fateri, *me juxta ignariſſimos ſcire, unde hoc hauſerit.* Interim ejus facies maximam nummo noſtro acquirit præſtantiam. *p. 637.*

In averſa parte tres figuræ ſtantes, dextra libram, ſiniſtra cornucopiæ tenentes MONETAM AVG. deſignant. Ad earum pedes conſpiciuntur tres cumuli, qui nummorum aureorum, argenteorum & æreorum ſigna ſunt, quibus Monetæ præeſſe credebantur. Libras habent & cornuacopiæ propter juſtum pondus, quod in Monetis requiritur. Quin imo *Æquitatis* & *Monetæ* in Num-

Digitized by Google

Nummis veterum eadem eſt effigies, prout apparet ex Nummo Gordiani apud *Monterchium*, p 74. *A temporibus Gallieni & infra,* inquit *Monterchius*, p. 122. *imagines trium harum Monetarum in nummis adeo frequentes fuerunt ut dum occuparet locum, cui egregia facinora inſculpi ſolebant, pretium & raritatem averſarum numiſmatum frontium minuerint.* Veritatem hujus aſſerti oſtendunt Nummi PROBI, nam & in eo, quem Monterchius vulgavit, & in hoc noſtro tres Deæ MONETAE videntur, ſed adverſæ cujusque parti aliquid inſculptum eſt, quo damnum illud reparatur, in illo nempe *Adventus Probi* in ejus clypeo, in noſtro caput uxoris, Probi capiti junctum. *Patinus* quoque in Theſ. p. 130. & 204. *Probi* Numiſmata maximi ac majoris moduli habet cum tribus Monetis in averſo latere, quæ antica pars a ſe invicem diſtinguit. Nec incongrue forte Numiſmatum ex auro, argento & ære hactenus explicatorum agmen claudit tale, quod antiquum triplicis MONETAE ſymbolum repræſentat.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

N°2



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E.
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google